TRACTATVS
DE
LIBERI ARBITRII NOSTRI VIRIBVS,
Et Diuinæ gratiæ virtute

Numero Tertius,

EX EIVSDEM DOMINICI TVSCHI
Regiensis Ciuis lucubrationibus.

Censuræ Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ humillimè expositus, & commendatus, vt eius illustratus lumine sanctissimæ consecretur veritati ad Dei Triniunius gloriam. Amen.



BONONIÆ M.DC.LXIV.

Ex Typographia Ferroniana. Superiorum permissu.



VMANA nostra dilucidata substantia, eiusq́; partibus, reliquum est modo, vt videamus, quibus medijs, & vijs ad sanctam illam vitæ nouitatem, ad quam nos inuitauit D. N. Iesus Christus, & cuius schema in prima nostra conati sumus delineare tractatione, cuius assecutio cum à Dei libera omninò pendeat voluntate, & sine humana nostra ad actum non perducatur voluntate, quomodo & diuinæ, & humanæ nostræ salua voluntatis libertate id fiat, fieriq́; valeat, exponamus oportet: ad eam verò cum non, nisi ex diuina præueniente gratia peruenire valeamus, & re ad eam non perueniamus, nisi ex liberi nostri assensu arbitrij, ideò de vtroque prius agamus, ipsa expostulat ratio.



DE LIBERI ARBITRII NOSTRI VIRIBVS, Et Diuinæ gratiæ virtute.



RAVO dato principio, quæ ex eo sequuntur, omnia vel praua, vel inutilia sint; consequens est. Naturales ideò si nostri non planè perspicientes, ac probè distinguentes arbitrij vires eis plus, vel minus, quàm à Deo tributum fuerit, tribuerimus, in errorem incidamus oportet. Diuinæ verò virtuti gratiæ in aliquo si detraxerimus, quasi in lubricum per prærupta pedem solidare præsumētes in præceps prolabamur, necesse est, ei nam addi nequidquam posse arbitramur, quia cum omnium nutrix illa sit, *Sap. cap. 16. num. 25.* à nutrice omnimodam, qui alendus est, sumat enutritionem nos & ratio, & experientia docet. Quæ ergo, quales, & quantæ nostri sint vires arbitrij æqua lance perpendamus oportet, diuinamque quantum nostra patitur imbecillitas, revereamur gratiam necesse est, cui cũcta in omnia trãsfigurata ad eorũ, in Domino qui cõfidunt, deseruiunt voluntatem, *Sap. d. c. 16. nu. 25.* Nam si omnes, vt dicit *Apost. ad Ephes. c. 2. nu.* 8. gratia per fidem salui facti sumus, & hoc non ex nobis, quoniam Dei donum est, neque ex operibus nostris, ne quis glorietur *Apost. 1. ad Cor. c. 1. nu. 31. & c. 12. n. 6. &* 11. nostra per consequens omnis tela salutis à principio vsq; ad finem tota ex ipsa exordita sit gratia, necesse est, alias non ex gratia, sed ex nobis nostra posset esse salus. *Propheta* propterea *Psal. 65. nu. 9. &* 20. suæ omnimodam reddens causam salutis cum Deo sic loquēs ait: *Quia posuisti animam meam ad vitam; & non dedisti in commotionem pedes meos. Benedictus Dominus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me*: ex quo clare, ac manifestè elicimus, quod nostræ tela salutis ex concomitante tota est exordita gratia diuina, qua præcisa vlterius natura protrahatur, impossibile est.

Apost.

Apost.ad Heb.c.12, nu.17. de illius propterea textura ad nostram eruditionem *1.ad Cor.c.15.nu.10.* verba faciens in sui persona sic breuiter ait: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Dominus idcircò a nostro, vt vitiorũ omnium deterrimam hanc excuteret corde præsumptionem *Deut.c.8. nu.17.& 18.* ait: *Ne dicas in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ hæc omnia mihi præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit, vt impleret pactum suum. Et Ezech.c.36.nu.27.* ait: *Et faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini;* ex quibus manifestè patet, quod nõ nostri arbitrij vires, sed gratiæ Dei nostri virtus in nobis secundum datum suum operatur omnia *Isa.c.26. nu.12.c.48.nu.9. neq; propter nos, sed propter semetipsum, suas vt in nobis impleret promissiones, quoniam fidelis est, & verax in omnibus verbis suis. Ezech.c.16.n.60.& seq.vsq; ad fin.cap. Eccl.c.18.n.10.c.37.n.5. Ioan.c.3. nu.33. Psal.144.nu.13.* Ita tamen, vt liberi arbitrij nostri nunquam excludatur concursus præfatæ, tanquam trãma telæ eiusdem salutis nostræ, prout infra plenius suo loco dicetur.

Vt autem quæ tractanda sunt constantem, ac firmam valeant recipere conclusionem, firma quoque, ac solida sunt vndequaque statuenda principia: & cum a notioribus semper sit inchoanda tractatio, de nostro priùs agamus arbitrio ipsa postulat ratio, cumque eius quid agere valeamus virtute, tractaturi simus, quæ primo, & qualia in nobis dentur, ac dari valeant operum genera se nobis explicandum offert; secundò autem quę ad quodcunq; rectè perficiendum requirantur opus. Operum autem omnium, in homine quæ cadere possunt, genera sunt tria: Vnum puræ, quod est animalis, seu sensibilis naturæ, cuius principium ipsa est concupiscentia carnis, quæ corporis sensibilis est substantia humanæ iniuncta menti in ipsa hypostasis vnitate, à qua tanquã carni ingenita potentia huiusmodi procedunt opera cuncta: Aliud, quod priuatum, & proprium est humanæ naturæ nostræ, cuius agendi principium ipsa est libera voluntas nostra, a qua tanquam humanitati nostræ ingenita potentia secundum rectam liberè agente rationem huiusmodi procedunt, & pendent opera cuncta. Quæ duo operum genera a plerisq; in physicum, & morale ab inuicem diuiduntur, non quod morale, & ipsum quoq; nõn sit naturale, quia nostræ cum sit proprium humanitatis opus, quæ naturale est figmentum, eius quoq; naturale sit opus, consequens est, sed quia à voluntate recta cum iudicatione liberè electum, & operatum in eiusdem transeat morem, qui non, nisi in homine recta cum ratione, ac iuxta præexcellentem naturam

suam

ſuam præexcellenter agente dari poteſt, *Eccl. c.14. nu.21. c.33. nu.23.* propter hoc ſic ab inuicem diuiſa fuerunt.

Tertium eſt merè ſpirituale, ſeù theologicum, cuius agendi principium Spiritus eſt ipſe Dei, à quo tanquam increata potentia eiuſmodi procedunt, & pendent opera cuncta, & ex eius mera in nos proueniunt gratia, illius tanquam gratuita dona, quorum & nos donationi, noſtro & aſſenſu, ac etiã externa cooperatione pro illius operis qualitate concurramus, neceſſe eſt, quod qualiter fiat proprio ſuo dicemus loco, quod proprio, ac peculiari nomine iuſtitia dicitur, eo quod Deus infinita ſua ſit dignatus miſeratione, gratia, & liberalitate ſecundum propoſitum intentionis ſuæ homines participes ſuæ facere iuſtitiæ, eos videlicet, qui eius acquieuerint voluntati. Quod cum in tempus ſuæ beneplacitum conſummaturus eſſet maieſtati, hoc etiam ante præfinitum tempus, eius vt manifeſtius eluceſceret miſericordia populo ſibi electo impartiri voluit, in typo tamẽ, & figura vſq; dum eius realiter adueniens iuſtitia Chriſtus eius filius, & D.N. naturam inſtaurare labefactatam, & ſæculum reparare labens, ... per ipſum in nos poſtea eam abundanter effunderet iuxta plenitudinis illius exuberantiam, *Iſa. c.54. nu.17. in fin. c.56. nu.1. Pſal. 88. nu.17. & 18. Prou. c.8. nu. 18. & 20. Apoſt. ad Eph. c. 1. nu.10. ad Rom. c. 3. nu.25.26. & 27. Io. c.1. nu.16.*

Quæ ex illius nobis tradendæ duplici forma duplex etiam dici poterat: In figura videlicet, quæ & legis dicebatur, quoniã per legem his dabatur, totam qui adimpleuiſſent legem, quoniã totam per legem ſolida illius erat contexta figura: Et in figurato, in quo iam integrè tota conſummatè adimpleta figura, reliquum quod erat temporis iam non amplius per vniuerſæ legis implementum, quoniã illius in figurato plenè adimpleta figura, & illa antiquata maneret, conſequens erat, ſed ex pura in ſe figuram adimplentis iuſtitia ſecundum eius daretur plenitudinem gratiæ, oportebat. Nam in typo, & figura, quæ adumbrata erant, cum non in vno omnia re ipſa collecta ſimul, neq; cumulatè vnita, vt in figurato inuenirentur, ſed per vniuerſam ſparſim delineata legem, ſub varijs cœlata figuris reperirentur, per legem conſequenter, vt quis illam conſequi poſſet, in ea quæ ſcripta erant, obſeruaret omnia, neceſſe erat, quoniã ex ijs non vna, non duo, vel deinceps, ſed omnia ſimul vnius erant figurati typus, propter hoc ſcriptum erat: Quod in ea quæ ſcripta erant, qui feciſſet omnia, vixiſſet in illis. *Leu. c. 18. nu.5. Ezech. c.20. nu.11. & 13. Apoſt. ad Rom. c.10. nu.5.*

Cum propter figuratum igitur ipſa fuerit inuenta, atque conſtituta figu-

figura, & in ea rudi, quæ schemate in typo adumbrata fuere, in ipso figurato, non prout in ea relatiuè, vel demonstratiuè, sed essentialiter, ac per se, prout ipsa sunt verè natura, sint omnia cõpræhensa simul oportet, ipso propterea aduemente figurato, tanquam in ipso absolute completa, & absorpta figura, ipsa cessaret, consequens erat. Christo propter hoc aduemente omnes legis testamenti veteris figuræ, & ceremoniæ tanquam propter ipsum adinuentę, & constitutæ per ipsum, & in ipso tanquam figurato consummatè adimpletæ cessauerint, consequens est. *Luc. c. 4. nu. 18. 19. 20. 21. & 22. c. 24. nu. 44. Io. c. 4. nu. 25. c. 5. nu. 46. Apost. ad Heb. c. 8. nu. 8. & seqq. vsque ad fin. cap. c. 10. nu. 1. 16. 17. & 18.* Idem propterea *ad Rom. c. 10. nu. 4.* dixit: Quod Christus tanquam figuræ legis figuratum eius aduentu finis ipsius extitit legis, quod & à Christo D. confirmatum fuit, *Mat. c. 11. nu. 13.* dicente: Quod lex vsque ad Ioannem Baptistam perdurauit, quia ille aduentus sui actualis ostensor fuit, & index verus, dum ipsius personam suo demonstrans digito ait: *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata Mundi:* quasi diceret: Ecce iam aduenit figuratum illud, quod vmbræ legis Testamenti veteris nobis in figura venturum demonstrabant, per quod praua iam futura erant in recta: & aspera in vias planas, quia per eum iam consecuturi eramus ex gratia, quod per opera legis coram Deo omnis non est consecuta caro, quia lex tempore suo nihil ad perfectum adduxit, *Isa c. 40. nu. 4. c. 42. nu. 16. c. 43. nu. 19. & 20. Luc. c. 3. num. 5. Apost. Ad Rom. c. 3. nu. 20. ad Gal. c. 2. nu. 16. c. 3. nu. 10. & 11. ad Heb. c. 9. nu. 19. Act. Apost. c. 15. nu. 10. & 24.*

Data enim si fuisset lex, quæ viuificare posset, verè ex lege esset iustitia, sed scriptura omnia conclusit sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus: Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebantur in eam conclusi fidem, quæ in Christo reuelanda erat, at vbi venit fides iam non sub lege, sed sub gratia per D. N. Iesum Christum facta, simus, consequens est, *Apost. ad Gal. c. 3. nu. 21. 22. 23. 24. & 25. ad Rom. c. 9. nu. 30. 31. & 32. c. 10. nu. 3. & 4. c. 11. nu. 5. 6. & 7. ad Philip. c. 3. nu. 9. Io. d. c. 1. nu. 16. & 17.*

Nam si per legem, futurorum quæ vmbra erat, per Christum reuelanda nobis promissa fuit iustitia, iam ex lege illa non esset, consequens erat, quia futura datio eius antecedentem præcedat promissionem, impossibile est. *Apost. ad Heb. d. c. 10. nu. 1. 10. & 14. c. 8. nu. 4. & 5. ad Rom. c. 3. nu. 24. & 25. Act. Apost. c. 10. nu. 43. c. 13. nu. 38. & 39. exod. c. 25. nu. 40. Isa. c. 11. nu. 5. c. 45. nu. 23. 24. & 25. c. 54. nu. 11. c. 56. nu. 1.*

Ier.

Ier.c 23.*nu.*6.*Mich.c.*7.*n.*18.19.*&* 20.*Zach.c.*9.*n.*9.*&* 11. Etsi Christus Pontifex, & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech à Patre fuit in æternum constitutus. *Psal.*109.*nu.*4. *Apost.ad Heb.c* 5.*nu* 5.*&* 6. *c.*7. *nu.* 17. in eum quoque facta Sacerdotij translatione legis etiam fieret translatio, consequens est per ea, quæ ab *Apost.traduntur ad Heb. d.c.*7. *per totum*, & signanter *nu.*12. Etsi nouum perfectiùs a Patre olim promissum, per Christum postea fuit superinductum testamentum, vetus etiam illud per istud nouum antiquatum manserit, consequens est, ad quid .n. superinductio sit perfectioris, nisi, perfectiorem vt illius sequamur viam? *Ier.c.*31.*nu.*31.*Isa.c.*35.*nu.* 8. *Apost. ad Heb. c.*8.*nu.*7.*& seq.vsq;ad fin.cap.c.* 10.*& nu.*14.16.17.*&* 18.

Etsi tandē omnia, in terra quæ sunt, per Christū instaurata fuerunt, vtiq; si perfecta adamussim fuissent, instauratione certè non egissent, instaurata autem, non amplius qualia prius erant, sint modo, necesse est, alias instaurata re ipsa non fuissent, sed qualia ab instaurante fuerunt cōstituta forma, sint modo, ipsa postulat ratio; sic autē existentia; priora etiam sint translata, consequens est. *Apost.ad Eph.c.* 1. *n.* 10. *ad Heb. d.c.*7.*n.*19.*c.* 8.*n.*7.*&* 13.

Hinc est, quod hi, qui adhuc sub lege esse volunt, Christum, quasi ille nondum venerit, totam vel veniens legem, legisq; figuram non adimpleuerit, ac in terra quæ sunt, per ipsum, & in ipso non fuerint instaurata omnia, euacuant, à gratiaq; quam ipse fecit, excidunt, insuperq; legis vniuersæ obseruandæ debitores se constituunt, sub qua qui erant, in eà quæ scripta erant obseruarent omnia, necesse erat: Christus consequenter, eius sic qui negant aduentum, aduentusq; virtutem, & gloriam, nil eis sit profuturus, consequens est. *Act. Apost. c.* 15. *nu.* 1. 5. 10. 16. 19. *&* 24. *Apost.ad Eph. d.c.*1 *nu.* 10. *ad Gal.c.* 5.*nu.* 1. 2. 3. 4. *&* 10 *c.*6.*nu.* 12 13. 15. Ad rectè verò perficiendum opus ista requiruntur quinque: Primum quidem potentia, seu libera illud perficiendi potestas, per quam nostro quæ natura sint subiecta arbitrio, intelligimus.

Secundùm autem operis illius sic perficiendi præcognitio vera. Tertium illud implendi determinata voluntatis deliberatio. Quartum subordinatæ non solum seriei mediorum ordine se se successiuo immediatè tangentium ad ipsum opus ab eius exordio, vsq; ad illius nouissimum perducendum finem necessariorum præcognitio vera, sed & illorum in ipsa operatione congrua dispositio, quæ media dicimus quādam esse seriem finium inuicem se se immediatè complectentium ordina-

dinatam, per cuius effluxionis curriculum ordinatè procedendo opusmet ipsum à principio, vsq; ad vltimum eius deducitur finẽ. Quintum, actualis, & continuata ipsius operantis intentio opus dirigendi prosequendi, & terminandi, ac illius realis directio, prosecutio, & terminatio in eum præcisè finem, in quem ab operis institutore præscriptum, & ordinatum fuit, in quo totalis ipsius, & integra consistit operis absolutio.

His autem sic præmissis dicimus, quod nostri potestas arbitrij super ea opera, & res se naturaliter extendit, quæ natura sub se posita sunt, *Gen. c 4. nu 7.* Natura verò sub humano arbitrio opera primi, & secundi generis, & super terram quæ sunt constituta, posita fuerunt, *Psal. 8. nu. 7. 8. & 9. Eccl. c. 17. nu 3. Gen. c. 1. nu. 26. & 28.*

Quorum etsi ex Dei concessione absolutissimam habeat libertatem, non omnia tamen etiam in totis viribus suis, prout decet, actu moderari potest: nam linguam, in eius quæ est membris, ac in eius naturali, & absolutissima potestate pro suo non potest edomare libito, *Iac. c. 3. nu 8.* Si ita in his: ea quomodo, quæ supra suam sunt naturam, qualia sunt supranaturalia illa tertio loco superius ordine posita, sibi subijciens pro sui libito arbitrij operari, moderari, & regere poterit, etiam quod media illa operandi in eius essent absolutissima, & liberissimā potestate? Nonne in hominis est potestate, quid velit, sua confessione profiteri? equidem: nemo tamen potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto, *Apost. 1: ad Cor. c. 12. nu. 3.*

Supranaturalia enim cum Dei sint gratuita dona non prius à donatario accipi poterunt, quam à liberali ei porrecta fuerint donatorē, quomodo enim, nos qui finiti sumus, ad ea, quæ infinita sunt, & à nostra non solum manu, sed & cognitione infinito distant spatio, manum admouere poterimus, nisi ab eo, in cuius sunt potestate nobis manifestentur, & offerantur? quis enim, in cœlis quæ sunt, ac nobis dare cogitat Deus, inuestigare potest? si ea, alius quæ cogitat homo nostri similis, scire non possumus, & nostro quæ in prospectu sunt, cum difficultate inuenire, æstimare, & opere complere valemus? *Sap. c. 9. nu. 13. 16. & 17. Mat. c. 19. nu. 11.*

B. propterea Ioannes Baptista in spiritu hoc contemplans vniuersali affirmatiua sic, *Io. c. 3 nu. 27.* ait: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Sicut autem ea à nobis ipsis percipere non possumus, sed à liberalissimo ea expectemus, & accipiamus donatore, necesse est: in ijs sic nobis distribuendis stabilita quoq; est ab eo
subor-

subordinata quædam eorum dandorum ratio, à nobis quæ nullo potest peruerti, vel præteriri modo, nam sicut non prius quis ad glorificationem peruenire potest, quam re fuerit iustificatus: ad reliquos sic gratiæ gradus, nisi ordine à Deo disposito manum mittat, impossibile est. Ad illam ergo glorificationis celsitudinem nulla quis poterit peruenire ratione, nisi per ipsam seriem graduũ scalæ diuinarũ gratiarum à Deo præordinatæ, & nobis sub typo illius præfiguratæ, quam super terram stantem, & eius cacumine cœlum tangentem in somnis vidit Patriarcha Iacob, & Dominum scalæ innixum sibi dicentem: *Ego sum*, &c. à somno propterea euigilans ait: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque quam terribilis est, inquit, locus iste, non est hic aliud, quam Domus Dei, & porta Cæli*: His videlicet patens, qui per illius seriatim scalæ conscendunt gradus in pectore iacentes Domini, *Gen. c.* 28. *nu.* 12. 13. 16. *&* 17. quia sicut sua dona dare ab eo liberè pendet: eo sic, quo sibi illa dare placet modo, ab eo quoq; liberè pendet, ac eo sic, illa det, decet modo, vt eius quanta sit bonitas, sapientia, prouidentia, liberalitas, & magnificentia nobis nota fiat, nota vt facta de singulis ab eo in nos collatis beneficijs, & gratijs ei gratias ageremus: agentes ad reliqua suscipienda disponeremur dona, dispositi cum eff ctu illa in eius gloriam, & nostram consequeremur salutem. *Apost propterea ad Rom c.* 8. *nu.* 28. 29. *&* 30. ait: *Scimus autem, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti, nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. vt ipse sit primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.*

Pro singulis consequenter huiusmodi gratijs Deo agantur gratię dignum vtique, ac iustum est, vt in gratiarum actione abundans gratia in Dei abundet gloriam, in qua nos, vt decet, abundantes eius in Christo perficimus voluntatem. *Apost.* 2. *ad Cor. c.* 4. *nu.* 15. *P. ad Thess. c.* 5. *nu.* 18. *&* 2. *ad Eosdem c.* 1. *nu.* 2. *Ad Coloss. c.* 2. *nu.* 7. *& c.* 4 *nu.* 2. *Est .n. prospector Deus eius, qui reddit gratiam, & meminit eius in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum*, nostrum autem ne cadamus firmamentũ ipsa est noua in nos à Deo superueniens gratia *Eccl. c.* 3. *n.* 34. *Sap c.* 16. *nu.* 25. *&* 8. *c.* 8 *nu.* 21. *quia nos tanquam à nobismet ipsis ad id sufficientes non sumus, sed omnis sufficientia nostra à Deo prouenit Apost.* 2. *ad Cor. c.* 3 *n.* 5. *& c.* 4. *n.* 7. *Io. c.* 15. *nu.* 5. Proph. propterea *Psal.* 83 *nu.* 8. ait. *Etenim legislator noster Christus dabit eis benedictionē* nouæ subministra-

ſtratione gratiæ, *& ibunt de virtute in virtutem* iuxta præordinatam huiuſmodi graduum donationum diſpoſitionem *Eccl. c.33 nu.14. Pſal.84. nu. 13. Reg.2.c.7.nu.27.* Et quemadmodum non caſus, non tempus, ſed ipſa diuina voluntas ſua nobis ordine, quo ſibi placet, dona diſtribuit, ſingulis ſic non omnia iiſdem temporibus, & occaſionibus dantur, ſed vna vni tempore vno, atq; occaſione vna; alteri alia tempore alio, atq; occaſione altera, prout liberaliſſimo donatori beneuiſum fuerit, quia omnia ſecundum propoſitum ſuæ ſemper operatur voluntatis *Luc.c.19 nu.42. & 44. Apoſt. ad Eph c.1.nu.5. & 11.p.ad Cor.c.7.nu.7. & 17.c.12.à nu.8.ad 12. & 2.ad eoſdem c.6.nu.2. Iſa.c.49.nu.8*; ſicut ergo ab eo liberè pendet ſua nobis offerre, & conferre dona, ea ſic eo, quo ſibi placet tempore, & occaſione offerre, & conferre ab eo quoq; liberè pendet, quemadmodum ab ea erudimur Euangelij, *Mat. c. 20. nu. 1. & ſeqq. vſq; ad 12. & 15.* parabola eorum, qui ad culturam vineæ, *quæ Dei eſt Eccleſia Mat.c.21.nu.33.& 42.* miſſi fuerunt varijs diei horis, id eſt varijs humanę vitæ ſpatijs, *Io.c.9.nu.4.Eccleſ.c.9.nu.* 10. qui vna non omnes hora diei, ſeù vitæ ſpatio vocati, & in vineam miſſi fuerunt, ſed varijs, & diuerſis momentis, prout Domino vineæ beneuiſum fuit, vna tamen omnes beatitudinis mercede remunerati fuerunt, nam, noſter etſi præmietur labor, priuatus tamē non eſt operis illius fructus, ſed diuinæ munificentia largitatis, & gratiæ illius virtus, & efficacia, iuxta tamē infra dicendas declarationes, *Iſa.c.65.nu.24. Malach.c.2. nu.5.c.3. nu.17.& 18. Pſal.16. nu.6. Apoſt.ad Rom. c.9. nu.15.25. & 29.* prout actu practico ex multis poteſt colligi exemplis, vt in B. Ioanne Baptiſta ab vtero vocato: In B. Ioanne Euangeliſta in iuuentute: In BB. Paulo, & Auguſtino in virilitate: In BB. Andrea, & Dionyſio Areopagita in ſenectute: In Latrone cum D. Noſtro Ieſu Chriſto crucifixo in vltimo vitæ ſpatio; hi tamen omnes aſſumpti fuerunt ad eam, ad quam cuncti aſpiramus Beatitudinem ex eadem Domini noſtri clementia, benignitate, & gratia *Apoſt. ad Eph.d.c.2.nu.8. Ad Philip. c.1.nu.29.& 30.* ex quibus in claris manet, quod gratia, & miſericordia Dei dona ſunt gratuita, quæ ab eo impartiuntur quibus, quando, & eo ordine, quo, & quibus magis ſuæ fuerit beneuiſum maieſtati, eorum quoniam motus ab eius libera procedit, & pendet voluntate, ita vt, ſi quis ea ſibi, vel alijs eſſe danda præſumeret, vel limitatum terminum, ordinemue in ijs dandis ſibi ipſi beneplacitum præfigere auderet, maximum temeritatis, & arrogantiæ committeret peccatum, nec diuinam gratiam, & miſericordiam inuocaret, ſed iram, & indigna-

gna-

gnationem in se concitaret. *Exod. c. 33. nu. 19. Apost. ad Rom. c. 9. nu. 15. Iudith. c. 8. nu. 11. 12. & 13. Malach. c. 3. num. 15.*

Vniuersali autem hoc sic, vt supra, solidato fundamento, quod videlicet ad supranaturalia capessenda nostrum gratia præcedat oportet operationis motum, aliud similiter huic connexum firmandum esse arbitramur: quod gratia ex mera Dei benignitate, & clementia omnibus datur, etiam reprobis, quia *nemo est, qui se abscondat à calore eius. Psal. 18. nu. 7.* Quia diuina in mysterio sapientia. *Apost. 1. ad Cor. c. 2. nu. 7.* mater tanquam honorifica in medio semitarum stat iudicij, vt volentes diuitijs intellectus scientiæ, & sapientiæ suæ ditet, & thesauros eorum repleat omnem omninò illuminans hominem venientem in hunc mundum: omnem ergo si hominem illuminat, nullus consequenter est homo, qui ab illuminationis, auxilij, & gratiæ illius calore se absconditum, vel expulsum fuisse cum veritate dicere queat. *Prou. c. 8. à nu. 20. ad fin. cap. c. 8. nu. 20. & 21. Eccl. c. 4. nu. 21. c. 15. nu. 2. 3. & seqq. c. 24. nu. 38. & 44. Io. c. 1. nu. 9. c. 8. nu. 12. c. 9. nu. 39 Isa.* propterea *c. 52. nu. 15.* ex huiusmodi inferendo ait: *Quibus ergo de eo non est annunciatum viderunt, & qui non audierunt de eo contemplati sunt hoc eis diuina suggerente sapientia omnium omninò hominum illuminatrice fecundissima. Iob.* autem *c. 33. nu 29.* asseueranter affirmat, quod tribus saltem vicibus per singulos homines hoc operetur Deus, suam vt nobis ostendat immensam charitatem, & misericordiam, & nos de nostro, eius si non susceperimus gratiæ dona, nullam valeamus excusationem habere peccato, *Io. c. 15. nu. 22. Apost. ad Rom. c. 1. nu. 19.* Qui ergo non vident: videntes non vident, quia videre nolunt, cæci propterea voluntarij dicuntur: sic audientes non audiunt, quia audire nolunt, surdi enim voluntarij sunt, nullus est autem surdior audire nolente. *Isa. c. 42. nu. 19. & 20. Prou. c. 13. nu. 1. & c. 29. nu. 1. Ier. c. 3. nu. 23. & 25. Ezech. c. 3. nu. 7.* si non intelligunt id euenit, quoniam intelligere nolunt, *Psal. 35. nu. 4.* voluntariè autem intelligere nolentes in tenebris ambulant, omnia ideò mouebuntur fundamenta terræ. *Mat. c. 13. nu. 14. & 15. Psal. 81. nu. 5.* & de his pro nunc satis sit.

Gratia verò postquam à Deo nobis oblata fuerit req; nostro suppositata arbitrio, in nostram tunc liberam transit potestatem eam vel repudiare, quoniam in inuitos quod gratia conferatur, naturæ ipsius gratiæ est exaduerso contrarium, congruæq; correlatiuorum correspondioni, ipsiq; libertati liberi arbitrij nostri: nam gratia, vt verè gratia sit, grata sit eius natura exquirit: oblationis verò correlatiua correspondio

ipsa

ipsa cum sit acceptatio, illa quemadmodum ex libera offerentis datur voluntate, ista sic ex libera recipientis acceptetur voluntate: arbitriũ verò liberum vt sit, ei vis nulla inferatur, eius substantia requirit.

Si autem repudiatur: à nobis quid repudiatũ sit: & eius quid sit repudium verè prius inquiramus, quam vlterius progrediamur oportet. Ab initio autem hominis a Deo constituti cum reliquerit illum in manu consilij sui ante eum ponens vitam, & mortem: bonum, & malum, vt quod ei placuisset daretur illi *Eccl.c.* 15.*nu.* 14. *&* 18. vita autem, & mors: bonum & malum, cum sint sibi exaduerso contraria. *Eccl.c.* 33. *nu.* 15. horum sic alterum qui repudiat, alterum probet, & acceptet, consequens est, quoniam eiusmodi est ipsa cõtrariorum natura. *Eccles.* *c.*2.*nu.* 13.*Io.c.* 8. *nu.* 12.*c.*11. *nu.*9. *&* 10.*c.*12. *nu.*35. *& sua p.c.* 1. *nu.*6. Inter acceptationem tamen, & repudium in hac materia hoc vnum maximè interest, quoniam licet bona, & vitam si acceptauerimus, ex natura quidem contrariorum, vt superius dictum fuit, mala, & mortem reprobauerimus, sit consequens, ac è contra: verumtamen cũ bona, & vita sic à nobis acceptata in nostra etiam post eorum acceptationem remaneant, ac perseuerent libera potestate dona tanquam à Deo nostro subiectata arbitrio, ea semper etiam quandocunq; voluerimus repudiare, & à nostra dimittere manu potestatem habemus, ac habeamus, eadem nostri exigit libertas arbitrij, licet ad id non tam facile prompti futuri simus, non quod ad nutum nostræ id facere non valeamus voluntatis, sed susceptæ virtute gratiæ, obiecti nostræ tanquam voluntatis, eius præsentia in mente nostra de se placorem relinquentis ad illius reflectere iacturam nos facientem, non secus, ac si aurum, vel gemmam in manu gestaremus, nam id, vel eam quidem si volumus proijcere, libertatem semper habemus, verum illorum præsentia, nostræ tanquam voluntatis obiecti de se in ea placorem relinquentis, à quo retenta si illa proijcere retardetur, non externa vis est, sed ipsius natura boni nostram placore suo captiuantis voluntatem, de eo, proprio eius tanquam pabulo se complacentis, ac enutrientis, vt latius suo loco dicetur, sic & tanto magis de diuina oportet dicamus gratia, tanquam de summo eius supranaturali bono: propterea scriptum est: Quod gratiam qui acceptauit, ab ea non ita facilè excidit. *Mar. c.*9.*nu.*38. *Apost.* 1. *ad Cor. c.*12. *nu.* 3. Quanto verò ab ea ne excidat maiori eius fulcitur auxilio, sic ab ea si factomet recesserit, maiori quoq; animi applicatione, ac deliberatione id egerit, necesse est, ad id autem quanto maiori adducitur deliberatione, tantò etiam grauius

pec-

peccet, ac difficilius ad illius instaurationem reintegretur, consequens est, *Apost. ad Heb. c.6. nu.4.5. & 6. c.10. nu. 26. Mar. c. 12. nu. 45. Pet. 2. c.2. nu. 20.* maiorem ac committit ingratitudinem, *Isa. c.1. nu.2. & 3 c.5. nu 4. & 5. Ier. c.2. à nu. 5. ad 14. Ezech. c. 16. à nu. 9. ad 27. Ose. c.13. nu.5.6.7.8. Mich. c.6. nu.5. Apost. ad Ro. c. 1. nu.21.* E contra verò bona, & vitam si repudiauerimus, ad repudiata dona manum amplius admoueamus duplex prohibet ratio, primo quidem, quia eorum à Deo nobis factam repudiantes oblationem in nostram non transierunt potestatem, sub nostroq; consequenter non remanserunt subiugata arbitrio: non remanentia: de ijs non magis disponere valeamus, quam nobis si nunquam oblata fuissent, exposcit ratio. Secundò, quia bona, & mala: vita, & mors sibi ipsis cum sint exaduersò contraria: bona etiam, & vitam qui reprobarunt, mala & mortem elegerint consequens est, *Psal. 108. nu. 18. Prou. c.8. nu.35. & 36. Io. c.3. nu. 19.* Mala verò, & mors cum sint vitæ, & boni priuatio, a qua nullus ad habitum in natura datur regressus, *Sap. c.16. nu. 14. Eccles. c.8. nu.8. Eccl. c. 38. nu.22. Psal. 87. nu. 11.* ad dona consequenter repudiata ad eorum libitum manum admoueant, impossibile erit. Dei ergo reprobantes gratiam illa cum remanserint priuati, ac ob illius repudium ea se indignos reddiderint, ad illam, nisi ex Dei noua superueniente gratia regressum habeant, impossibile est. *Act. Apost. c. 13. nu. 46. Prou. c. 1. nu. 28. 29. 30. & 31. Isa. c.65. nu.13. Ier. c.7. nu. 14. c. 22. nu. 30. Luc. c.19. nu.42. & 44.* Cuius recusatæ gratiæ culpæ grauitas exemplo nobis, *Cant. c.5. nu.2. & seqq. vsq; ad fin. cap.* proposito manifestè declaratur, dum ibi introducitur dilectus de nocte ad ostia pulsare sponsæ dicens: *Aperi soror mea, &c. quia caput meum est plenum rore,* ros autem eius ros est diuinæ lucis, quæ in nobis operatur omnia, *Isa. c.26. nu.19. Sap. c.8. nu.4.5. & 6. Ose. c. 14. nu.6. & cincini mei guttis noctium,* quorum sicut infusa humore terra germina crescunt, & multiplicant, illius sic aspirante spiritu fecunda cuncta redduntur, *Deut. c.32. nu.2. Psal. 103. nu.30.*

Sponsa autem mundanis delinita commoditatibus, etsi ei aperire recusauerit: dilectus tamen, totus qui charitas est, eam volens in funiculis attrahere Adæ, manum suam misit per foramen, suum videlicet in ea excitauit timorem, aptum tanquam medium ad eam ad se reducendam, *Ose. c. 11. nu.4. Bar. c.3. nu.7. Prou. c.14. nu.27.* ad cuius attactum perterrita ipsius statim intremuit venter, & manus eius stillauerunt myrrham, & digiti eius pleni myrrha probatissima (quæ pro dono sumitur

mitur pœnitentiæ) qua adducta confestim aperuit ostium: aperto autem non inuenit eum, quia iam declinauerat, & transierat: *Deus enim dona sua dat nobis in tempore sibi beneplacito*, in quo ea si recusemus, quoad nos ea postea frustra perquirimus, *Luc. c. 19. nu. 42. & 44. Apost. ad Heb. c. 12. nu.* 17. Anima autem sponsæ statim, ac dilectus locutus est, liquefacta est, si autem statim, ac locutus est, liquefacta est, quare statim etiam non aperuit? nisi quia efficacia gratiæ non à nobis, sed à Deo pendet. *Luc. c. 24. nu. 31. & 32.* vt infra dicetur. Post autem dilecti repudium aperuit; quæsiuit, & non inuenit: vocauit, & non respondit, *& inuenerunt eam custodes, qui circumeunt Ciuitatem, & percusserunt eam, & vulnerauerunt eam, & tulerunt pallium eius custodes murorum*, quia *in vno qui peccat multa bona perdit*, immo contra eum tanquam omnium factum omnis reum creatura sæuit *Eccles. c. 9. nu. 18. Iac. c. 2. nu. 10. Gen. c. 4. nu. 14. Apost ad Heb d. c. 12. nu. 17. Sap. c. 16. nu. 17. & 19. Ezech. c. 3. nu. 20. c. 33. nu.* 13. timor autem Domini, & pœnitentia ipsius cum sint parentes amoris. *Eccl. c. 25. nu.* 16. sponsa propterea in eiusmodi prorupit verba dicens. *Adiuro vos filiæ Ierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo &c.* & hæc satis sint ad propositæ ostensionem rei.

Ex superius autem dictis cum satis superq; manifestè pateat, quod supranaturalia sub nostro natura non sunt constituta arbitrio, hoc etiam posito, primo tanquam rectæ perficiendæ operationis deficiente requisito, super quod tanquã basim cætera insident, reliqua quoq; deficiant, consequens est: & si præterea quod in conspectu Dei placitum est, atq; in præceptis illius directum, eius diuina sola nouit sapientia, operum quæ illius est artifex, electrix, & edoctrix sanctissima, ac illorum omnes inuicem se complectentes fines, quos media ea esse diximus, quibus illa ab exordio ad nouissimum vsq; sunt contexta finem, in quo illorum perfecta consistit absolutio, de vno in alium successiuo ordine fortiter attingens omnia suauiter disponit: disposita perficit: perfecta pro sua voluntate regit, & gubernat. *Sap. c. 9. nu. 9. c. 8. nu. 1. 4. & 5. c. 7. nu. 27. Eccl. c. 24. nu. 37 & seq. vsq; ad fin. cap.* Eam autem, eiusq; intelligentiam cum nulla etiam cœlestis creatura capiat, capereue valeat, earum vel subsit, subesse vel possit arbitrio, sed benè è contra ipsa capiat, eiq; subsint omnia, *Iob. c. 28 nu. 11. 12. 20. & 21. Bar. c. 3. nu. 15. 29. 31. 32. Apost. 1. ad Cor. c. 2. nu.* 11. naturali consequenter eorũ, atq; illius quæ sunt, ac finium eorum, ad ea consequenda qui necessarij sunt, nulla data cognitione reliqua quoq; requisita, quæ post dictam superius

periꝰ reposita fuerunt cognitionem deficiant, necesse est, quia nostra ad ignota non fertur, ferri nec valet voluntas, rem ideò ignotam perficere, deliberare nec poterit, præcisam nec de illa ullam formare intentionem, illam vel ignotam ad ignotum dirigere, vel perducere finem. Sapientiam ergo nisi nobis dederit Deus, & de altissimis miserit Spiritum Sanctum suum, supranaturalia huiusmodi qui nos doceat, & adimplere faciat nostram subleuans imbecillitatem, ea compræhendamus, vel rectè operemur, impossibile est, *Sap.d.c.9.nu.17.* & *19.c.7.nu. 28.c.10 nu.8. Eccl.c.1.nu.7. Apost.ad Colos.c.2.nu.3.10.c.14.nu.26. c.16.nu.12.* & *13.Gen.c.4.nu.14.*

Cum Deus præterea omnia & liberè, & propter semet ipsum, ac suę iuxta propositum semper egerit, & agat intentionis *Psal.93.nu.1.Prou. c.16.nu.4. Apost. ad Eph.c.1.nu. 11.* hinc necessariò dicendum videtur, quod huiusmodi in nos ab eo non ex nostrarum pręuisione, seu contemplatione bonarum operationum, sed ex eius mera, & pura proueniant libertate, liberalitate, & gratia, alias eius motus voluntatis non ab illius puro exordirentur interno intentionis proposito, sed ab externa nostrarum causarentur nobis beneplacita operationum emanatione, à qua diu nę eius agendi libertati super inducta diceretur necessaria operandi via, quæ & diuinæ eius esset omnipotenti exaduerso contraria potentiæ, ac infinitæ eius repugnans liberalitati, & libertati: huiusmodi enim quomodo ex eius, & gratuita in nos dici possēt prouenire libertate, liberalitate, & gratia, si ab eo nobis in nostri beneplaciti fuissent operis tribuenda mercedem, cum operanti non ex gratia, sed ex debito sit imputanda merces? *Apost.ad Rom.c.4.nu.4.* Nostris præterea Deo quid tribuimus operibus, nobis vt debeat retribuere mercedem? nihil certè. *Iob.c.35.nu.7.* & *8. Apost. ad Rom.c.11.nu. 35.* quia huiusmodi nostrarum in eum persolutiones operationum nostræ sunt obsequia seruitutis maiestati suæ ex debito persoluenda, de quo nos monitos esse volens D. N. Iesus Christus. *Luc.c.17.nu 9.* & *10.* ait. *Sic & vos cum cuncta, vobis quæ præcepta sunt, feceritis: dicite: serui inutiles sumus, quod facere debueramus, fecimus*, qui propterea in huiusmodi declinant obligationes, tanquam ab eis temerè præsumptas, adducet Deus cum alijs operantibus iniquitatem, *Psal. 124.nu.5.* quia iniquitas nulla maior est ipsa ingratitudine, & ingratitudo nulla maior, quam suę propriæ arroganter adscribere solertiæ, & merito ea, quæ ex mera in se proueniunt Dei donatoris liberalitate, & gratia. *Malac.c.3.nu 14.* & *15.* Merces si præterea ista, quam expectare dicimur, æterna est vita, illam quoque

non ex operibus nostris, neq; propter nos. *Apost. ad Tit. c. 3. nu. 5. 6. 7. Isa. c. 43 nu. 25.* Sed ex mera nobis donatur Dei promissione, & misericordia propter D. N. Iesum Christum, in cuius intuitum, & gratiam nobis datur, ei Patre sic, *Psal. 2. nu. 8.* dicente; *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* Ipse autē pro hac sibi promissa apud Patrem interpellans hæreditate, quæ ipsi sunt electi, *Io. c. 17 nu. 24. 19. & 17.* ait: *Pater, quos mihi dedisti, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Pro eis n. sanctifico me ipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate: Eos ergo & tu sanctifica, Pater, in veritate tua, sermo. n. tuus omnis est veritas:* Suam autem Pater iureiurando cōfirmans promissionē filio pollicitus est irritam se illam non esse facturum. *Psal. 88. nu. 29. 34. & 35.* Ita vt æternæ nobis dandæ vitę motus principium ipsa spontanea fuerit Dei promissio, & promissionis huiusmodi eius propria gloria, & sui exaltatio filij *Apost. ad Eph. d. c. 1. nu. 11. ad Philip. c. 2. nu. 9. & 10.* quoad nos verò eius pura fuit, & est misericordia, & promissionis illius constans, & immobilis veritas. *Apost: ad Tit. c. 1. nu. 5. ad Heb. c. 6. nu. 17. & 18. Num. c. 23. nu. 19.* propterea misericordia, & veritas visionem faciei illius, in qua nostra consistit beatitudo, quam æternam appellamus vitam, præcedere dicuntur, *Psal. 88. nu. 16. Psal. 35. nu. 9. 10. Prou. c. 14. nu. 22.* & cœli, & terra pleni esse eius misericordia *d. Psal. 35. nu. 6. & Psal. 118. nu. 64.* vt ex his intelligeremus, quod salui quicunq; facti iam in cœlis requiescunt, ex diuina ibi requiescere misericordia: & in terra quicunque adhuc sunt, & illuc ascensuri sunt, ex eadem illuc ascensuros esse misericordia, hi propterea promissionis, & misericordiæ dicuntur esse filij, *Apost. ad Gal. c. 4. nu. 28. Isa. c. 57. nu. 1.* omnia enim si sub peccato conclusa manserunt, vt omniū misereretur Deus. *Apost. ad Rom. c. 11. nu. 32.* æternam consequenter vitam sine misericordia cōsequamur, impossibile est, vbi autē nobis necessaria est misericordia, mero nullus est nostro merito locus, esseue potest, quia illa à mera, & sola Dei voluntate procedit, & pendet. *Exod. c. 33. nu. 19. Psal. 30. nu. 17. Ose. c. 1. nu. 6. & 7. Apost. ad Rom. c. 9. nu. 15.* volens propterea Spiritus Sanctus hanc deterrimam à nobis eradicare meriti nostri præsumptionem *Iob. c. 36 nu. 16.* ait: *Saluabit te Deus de ore angusto latissimè subter te fundamentum non habente.* meritū ergo, meritiq; pondus, & merces non ex nobis, quatenus ex nobis, neq; ex operibus nostris, quatenus nostra sunt merè, proueniunt, prouenireue possunt, sed à Dei pura misericordia, & gratia, cuius sunt gratuita dona. *Io. c. 1. nu. 17. c. 3. nu. 27*

c. 15.

c.15.nu.5.Luc.c.12.nu.32.Apost.ad Rom.c.5.nu.20.& 21.c.6.nu.23 c.9.nu.15.16.& 29.c.11.nu.6.& 32.c.12.nu.6.P. ad Cor.c.12.nu.11. Ad Eph.c.2.nu.4.5.7.& 8.c.4.nu.7. Si ergo pro eius in nos re collato dono aliud cōfertur donum, hoc ex gratia fieri existimare debemus, quia quodlibet diuinum donum cum in intuitum, & gratiam Domini nostri Iesu Christi, cui à Patre huiusmodi donorũ sunt factæ promissiones, nobis donetur, & infiniti in se meriti habeat pondus. *Io.c.17.nu.19.& 24.c.16.nu.27 Psal. 88.nu.29.34.35.36.& 37.Psal. 36.nu 4.5.& 6.Psal.17.nu.51. Psal.1.nu.3.* alterius sic promerendi doni virtutem habeat, consequens est, posterius propterea donum prioris doni dicitur esse merces, & pręmium, & ita deinceps, donec ad consummationem omniũ perueniamus donorũ, quæ est vita æterna. *Apost.ad Rom.c.5.nu.3.4.c.6 nu.23.Luc d.c.12.nu 32.* quia diuina diuinis promerentur, ac cōparantur medijs *Apost.P.ad Cor.c.2.nu.13.*

Quod ex eo etiam probari videtur, quod de se asserit Regius Propheta, *Reg.2.c.7.n.27.* dicens: *Quia tu Domine exercituum Deus Israel reuelasti aurem serui tui, &c. propterea seruus tuus inuenit cor suum, vt te hac oraret oratione*, nam sicut sui reuelatio auris Dei fuit gratuitum donum, *Isa.c.50.nu.5.Iob.c.33.nu.16.& 17.* pro huiusmodi sic dono aliud ei donatum fuit donum, quod ipsa fuit exsuscitatio cordis sui ad Deum erudita illa, quæ ibi legitur, deprecandum oratione, quæ sibi à Deo data fuit in mercedem, & præmium diuinæ ei reuelatæ voluntatis, *Psal.16.nu.6.Psal.31.nu.8.Isa.c.65.nu.24.Io.c.4.nu.14.Mat.c.4.nu.19.20.21.& 22.Apost.ad Heb.c.3.nu.14.c.10.nu.23.* iuncto *ad Colos.c.1.nu 23.& 29.* nam & iustificatio, benedictio, & sanctificatio, quæ pura Dei sunt dona, *Apost. ad Rom.c.3.nu 26.c.4.nu.5.c.9.nu.12.c.11.nu.6.P.ad Cor.c.1.nu.30.* altera in alterius dicitur dari mercedem, *Eccl.c.11.nu.24.* dicamus igitur oportet, quod alteràm promereatur altera, & quod posterior prioris sit præmium, & merces, quia scimus in verbo Domini, quod mendax esse non potest, quod gratia pro gratia datur, *Io.d.c.1.nu.16.* & pro gratia tandem datur æterna vita, quæ ipsius est stipendium gratiæ, & antecedentium gratiarum completum donum, *Apost.ad Rom.d.c.6.nu.22.Luc.d.c.12.nu.32.* licet huiusmodi gratiarum pro gratijs datis cognoscat virtutes nullus, nisi qui suscipit illas, *Apoc.c.2.nu.17.* quoniam diuinam scire virtutem radix est immortalitatis, *Sap.c.15.nu.3.* quam scit nullus, nisi illius qui particeps est. *Apost.1.ad Cor.c.2.nu.11.*

Per hæc tamen non intendimus tollere, vel negare, quod ad no-

ſtram ſalutem, noſtra non ſit neceſſaria ad gratiam cooperatio, & quod nos etiam eius medio iuxta ſacras auctoritates ſcripturarum non commereamur, immo hoc affirmamus, vt ſuo loco dicetur. Pro maiori verò infradicendorum intelligentia præmittendum eſſe exiſtimauimus, quod diuinæ in nos prior ſuperuentio donationis prima appellatur gratia, poſteriores verò vno hoc nomine omnes ſecundæ gratiæ deſignantur, circa quam, ſeù quas tria ſe nobis contemplanda, & examinanda in hac materia offerunt inter ſe cognitione quidem diſtincta, re autem, vt arbitramur, non ſeparata: quorum primum eſt: A quo re vera ipſa conſequendi effectus gratiæ procedat, & pendeat efficacia, de qua præcipuus noſter hic erit ſermo. Secundum verò eſt opus illud, quod ab ipſa nobis abſoluendum proponitur gratia, cuius abſolutionem ad ipſius conſecutionem effectus gratiæ neceſſariam eſſe affirmamus, vt ex infradicendis manifeſtiſsimè apparebit: Tertium, ipſa eſt cum eo ſimul concurrens cooperatio noſtra, quam ſimiliter & neceſſariam eſſe, & nos etiam in eius adimplemento commereri poſſe quoque affirmamus, vt plenius ſuo loco dicetur.

Ad primum autem reuertentes dicimus, quod illud ab vno ex his tribus procedat, & pendeat principijs, neceſſe eſt: videlicet, vel à diuini donatoris perfectiſsima, & abſolutiſsima operandi virtute, & methodo, à qua eius omne ſemper abſolutum procedit opus, & donum elabitur perfectum, *Deut. c. 32. nu. 4. Pſal. 110. nu. 2. Eſd. 4. c. 6. nu. 38. Iac. c. 1. nu. 17. Io. c. 10. nu. 28. & 29. Ier. c. 15. nu. 20. c. 17. nu. 14.*

Vel ab innata ipſius virtute gratiæ ſua ſemet euehentis facultate in opus ſuimet ipſius conſecutiuū effectus dicto *Io. c. 4. nu. 14. Apoſt. ad Rom. c. 5. nu. 3. 4. & 5. P. ad Cor. c. 15. nu. 10. Apoc. c. 2. nu. 17. Ion. c. 2. n. 1. & 11.* Vel ab ipſius gratiam acceptantis libera voluntate, liberi tamquam agentis ſuo proprio ſibi complacentis opus illud perficere beneplacito, quod ab ipſa ſibi abſoluendum proponitur gratia, cuius abſolutio cum ad ipſius conſecutionem effectus gratiæ neceſſaria ſit, & illā à noſtra abſolutè pendere voluntate faſtoſæ noſtræ applaudat menti de ſe nimium facilè præſumenti, aſſuetæq; in huiuſmodi impellere offendicula, *Gen. c. 3. nu. 5. & 22. Eccl. c. 35. nu. 24. c. 37. nu. 3. c. 18. nu. 10.* Hinc illa ſcatuerit, arbitramur, opinio, quod diuinæ efficacia gratiæ à noſtra omninò pendeat voluntate, quod ab ipſa alienum putamus eſſe veritate. Circa ſecundum, vt iam dictum eſt, affirmamus, quod realis illius abſolutio neceſsaria ſit ad ipſius conſecutionem effectus gratiæ non in ſecunda ſolum, ſed & etiam in prima gratia: Nam audientibus

quid

quid profuisset, quod diuinum eis per prædicationem fuisset oblatum verbum, nisi intrinsecus in eos diuinitus actualis illius pertransisset auditus, cum non, nisi fidei re ipsa admixtum sit, audientibus prodesse posset? *Apost. ad Heb. c.4 nu.2. Mar. c.16. nu.* 16. *Io. c.* 20. *nu.* 31. Apostolis quid profuisset, quod eis promissa, & oblata fuisset Spiritus Sancti missio, nisi postea super eos actualiter superuenisset? *Io. c. 7. nu.39. c.16. nu. 7. Act. Apost. c.1. nu.*8. Sanctum quid nobis prodesset baptisma, si eius dumtaxat nobis oblata fuisset absterfio, re ipsa verò non subsecuta fuisset, cum in regnum Dei ingredi vt valeamus, re ex aqua, & Spiritu Sancto renati esse debeamus? *Io. c. 3. nu.5. Mar. c.16. nu.16. Act. Apost. c.8. nu.* 38.

Si diuini autem absolutio operis ab ipsa nobis propositi gratia ad illius consecutionem effectus etiã in prima de necessitate requiritur gratia, in qua sufficeret dici posse videbatur, quod voluisset Deus suæ nos participes esse gratiæ vllo absq; vlteriori opere suæ consecutiuo gratiæ, cum, illam vt re ipsa consequamur, non à nobis, sed ab eius diuina merè procedat voluntate vllo absq; operum nostrorum intuitu, & contemplatione, *Apost. ad Rom. c.9. n.*12. *&* 13. *c.*11. *n.6.* Ad diuini enim substantiam operis ex se quid re ipsa contulerunt hi, qui *Act. Apost. cap.* 13. *nu.*48. per diuini ad Deum conuersi fuerunt auditum verbi? nonne ibi astantes omnes auribus æquè diuinum perceperunt verbum? cur etiam non omnes, vt hi, glorificauerunt illud? nisi quia hi ex speciali eius gratia ad vitam æternam ab eo præordinati fuerãt, vt ibi expressè dicitur. Quid ex se ad diuini substantiam operis superuenientis in se Spiritus Sancti contulerunt Apostoli? Illumnè forsan à regalibus sedibus eius educere, vel ne descenderet prohibere poterant? *Bar. c. 3. nu.29. Act. Apost. c.11. nu.17.* Quid ex se ad diuini substantiam operis conuersionis suæ B. contulit Paulus, si inscius à Deo vas iam constitutus electionis, quid tamen pro sua sibi faciendum esset salute adhuc ignorabat? *Act. Apost. c. 9. nu.* 7. ad actualem tamen consecutionem effectus gratiæ suæ voluit Deus realem semper huiusmodi requiri operis absolutionem, non quidem nostrum tanquam opus, sed diuini eius tanquam operis visibile signum inuisibilis eius donationis argumentum, in cuius actu sicut in eo eius latens in nos transfunditur virtus, nobis sic oblatum nostræ tanquam latentis fidei visibile obiectum actualis professionis illius in nobis expressiuũ esset argumentũ ad huiusmodi enim visibilis explicationem signi nostra ei exhibentes membra illi re ipsa cooperasse dicimur, ex eiusmodi verò cooperatione noster verè

eli-

elicitus expressus apparet consensus, quẽ Deus & requiri, & adesse voluit, ne eius coacti videremur accipere dona: quemadmodum in superius primo posito exemplo ibi astantium actualem intercessisse inspicimus aurium exhibitionem, per quas, tanquam per organum aptum interius in eis diuini formatus fuit auditus verbi, in quarum libenti exhibitione eorum libens expressus elicitus apparuit consensus, *Deut. c. 18. nu. 18. & 19. Io. c. 5. nu. 24. Act. Apost. c. 2. nu. 37. 38. & 41. c. 3. nu. 3. Apost. ad Heb. c. 3. nu. 18. & 19. & d. c. 4. nu. 2.*

In secundo eos videntes virtute Spiritus Sancti realiter indui ab alto, iu cuius libenti illorum expectatione, illorum quoq; libens expressus elicitus patuit consensus. *Luc. c. 24. nu. 29. Act. Apost. c. 1. nu. 4. c. 2. nu. 2. 3. & 4.*

In tertio illum continuò obsequentem se præbuisse contemplantes, quibuscunq; sibi à Dei ministro imposita fuerunt, in eius quoq; libenti obsequio libens eius expressus elicitus apparuit consensus, *Act. Apost. d. c. 9. nu. 6. & 7.* Sic etiam in secunda dicendum esse arbitramur gratia, etsi sensui nostro aliter esse videatur. Nam si diuinæ qui cooperantur iustitiæ, iusti fiunt, sicut iustus est auctor iustitiæ Christus Dominus Deus noster, *Io. 1. c. 3. nu. 7.* & eius æterna, & infinita est iustitia, consequenter etiam dicamus oportet, quod huiusmodi iustitiæ opus, cui sic cooperantes efficimur iusti, sicut ipse iustus est, non nostrum sit, sed illius in nobis operantis illud, infinitæ alioquin non posset producere fructum iustitiæ, quia ad infinita producenda infinita est necessaria virtus, quam nobis veritatem volens demonstrare Deus, *Isa. c. 64. nu 6.* dixit: Quod humanæ nostræ (in illius comparatione iustitiæ) sunt tanquam pannus menstruatæ, non quod bona opera nostra ei displiceant, sed quia respectu infinitatis põderis diuinorum illius operum sunt tanquam punctum imperceptibile, & quasi stateræ momentum, quod in nihilum reputatur, *Sap. c. 11. nu. 23.* immo tanquam inquinamentum, & immunditia: quid est .n. homo, & quæ gratia illius? aut quid bonum eius? *Iob. c. 9. nu. 20. 30. & 31. c. 15. nu. 14. 15. & 16. c. 25. nu. 4. Eccl. c. 18. nu. 7. Psal. 38. nu. 6. & 8.*

Neque, quæ affirmamus, ex eo tollerentur, si diceremus, quod huiusmodi opus rè quidem vera humanum sit, sed quoniam ei opera accedunt illa, quæ pro salute nostra operatus est Dominus noster Iesus Christus, quæ infiniti sunt meriti, & iustitiæ, propter hoc hi, qui operantur illud, efficiuntur iusti, sicut iustus est ille, qui operatus est ea, quæ nostris sic, vt supra, accedentia operationibus, & illas, & nos cum ipsis

simul

simul reddunt iustos. Quia affirmare, quod maius minori, eius quasi accedat appendix, & quod finitum velut continens infinita cõprehendat: sicut se peruersum manifestat obloquendi modum, sic in ipsa accedendi, & continendi ratione imperfectionem, & imposibilitatem demonstrat, non secus ac si diceremus, quod ab accidente ipsa pendeat substantia, & quod nostrarum sint diuina quædam quodammodo auctaria operationum, quæ ad rectam vt dicendi reducamus rationem, & ad eius restituamus symmetriā naturalem, confiteamur oportet, quod huiusmodi diuina verè sint opera, vt ea esse diuinæ nos docent litteræ, *Exod. c. 4. nu. 12. Isa. c. 26. nu. 12. Apost. 1. ad Cor. c. 12. nu. 6. & 11.* in quæ nostræ si concurrant cooperationes, illisq; tanquam firmo innitentes fundamento, illa nobis imputat Deus, ac si verè nos fecissemus ea, huiusmodi propterea imputatione iusti effici dicimur, sicut iustus est ille, qui ea in nobis ei sic cooperantibus operatus est verè: absolutam propterea qui sibi audet illius ascribere operationem, & efficaciam, diuini cum peruertat facti huius veritatem, & Dei illud in se operantis vsurpet gloriam, omne, arbitramur, quod ex illius in se proueniret imputatione, euacuet meritum, & omnium in conspectu illius, qui se fecit, constituat reum. *Iac. c. 2. nu. 10. Psal 124. nu. 5.* Verum vt scire re vera valeamus, an supranaturalia huiusmodi opera humana sint verè, vel diuina potius, & propria nostra à nobis, vel à Deo potius eius in nobis operentur virtute, & efficacia, ad causas propter quas illa & huiusmodi sunt, ac operentur, & sine quibus illa esse, & operari non possunt, confugiamus oportet, quia ab huiusmodi ipsum pendet scire. Ea igitur si ex eo supranaturalia dicuntur, ac re ipsa sunt, nostram quia sint supra naturam, & à nostro, vt superius demonstratum fuit, sint penitus erepta arbitrio, humana vtique non sint, sed diuina, ipsa postulat ratio, quia ad ea, quæ supra nostram à Deo sunt constituta naturam, nostra perueniat natura, eique communia sint, impossibile est. Sed aliquis forsan dicere posset, quomodo non humana sunt, si ex ipsa facti euidentia, cuius nulla est manifestior probatio, clarissimè patet, quod humana sint? cum nos verè simus, qui nostras pauperibus distribuimus facultates, in nostras eos introducimus domos, vestimus, & cœtera huiusmodi facimus, quæ facere inter supranaturalia computantur opera? *Isa. c. 58. nu. 7. & 8. & passim per vniuersa scripturæ loca*, quia huic respondeamus, quod etiam Ethnici hoc faciunt, quorum tamen opera huiusmodi inter supernaturalia computari diuinæ repugnat veritati, & integritati nostræ fidei: hu-

iusmodi ergo probatio ab ipsa euidentia facti nihil omnino valet, quia si supranaturalia nostri omnino nequeunt capere sensus, *Isa. c.64. nu.4. Apost.P.ad Cor.c.2.nu.*11. sensibus sic nec iudicanda, nec probanda sunt, sed secundum diuinam reuelationem tantum, *Io.c.7.nu.24.c.8. nu.*15. *Mat.c.16.nu.17.& 23.Mar.c.8.n.33.Luc.c.9.nu.20.* Sed iterum forsan replicantes dicere possent, quod hoc saltem procedat inter eos, qui in fidem iam recepti sunt: verum *Apost.P.ad Cor.c.13.nu.1.2.& 3.* in his etiam idem sentire videtur, si tamen hi charitatem non habuerint, quæ autem ista sit charitas *Beatus Io. eius p.c.4.nu.8.& 16.* nobis manifestans ait: quod *ipse est Deus*. Hæc ergo rectè vt intelligamus, dicamus oportet, quod supranaturalia, sicut etiam & moralia ex duabus constāt partibus ex extrinseco, & intrinseco, vt manifestius eius appositiori loco infra dicetur, si ergo Spiritus Sanctus Dei, qui propriè charitas dicitur, nostri in nobis tanquam agendi existens principium Sanctissimo interno suo nos agitando motu exteriora illa à nobis eduxerit opera, ex quibus extrinseca tanquam parte ipsa supernaturalia constāt, & huiusmodi á Diuino tanquam procedentia principio, & supernaturalia dicenda erunt, & erunt verè. Ab infinita autem eius cum effluxerint virtute, & potentia, quæ infiniti est meriti, & iustitiæ, ad infinita etiam promerenda nobis cum eo simul ea cooperantibus proderunt; si autem à nobis merè processerint, neq; supernaturalia erunt, ad infinitaq; promerenda nobis nihil proderunt, quia, *diuinis diuina: humanis humana comparantur Apost. 1. ad Cor. d.c.2 nu* 13. ista autem cum re infinito inter se distent spatio, *Isa. c. 55. nu.* 8. hæc etiam illis comparata ante Deum erunt tanquam pannus menstruatæ, & ei non placebunt. *Isa. d.c. 64. nu.6. Mat. c.16. nu.23.*

Ad hæc quoq; faciunt ea, quæ de nouo nostro homine dicta sunt: Nā, si Spiritus Sanctus in nobis habitans nostro præsidet spiritui, quemadmodum forma ipsi præsidet materiæ, per consequens etiam ipse est, qui in nobis supernaturalia huiusmodi operatur omnia, quia non materiæ, sed formæ omnis est actus, & si in intellectiuis rectè agendi principium ipsa recti est operis præcognitio, quam de supranaturalibus a nobis ipsis habere non possumus, quia, Dei quæ sunt, nouit nemo, nisi spiritus ipse Dei, & sine cuius vnitate, & virtute ea intelligamus, impossibile est. *Isa. c.64. nu.4. Apost. 1. ad Cor. d.c 2. nu.* 11. ille ergo si nobis dat illa scire, quis horum, a nobis quæ fiunt magis, quam ille erit artifex, qui in nobis sic inuisibiliter operando operatur omnia? *Sap c.9. nu.17. c.8. nu.6.* Etsi viæ, quæ à dextris sunt, solæ sunt bonæ, & eas solus

nouit

nouit Deus. *Prou. c.4.nu.27.* à nobis ipsis quomodo eas inuenire, & per eas rectè incedere poterimus, nisi nobis eas paulatim reuelet, reuelans autem per illarum semitas nostros paulatim reponat gressus, *Prou. c.20.nu.24. Psal.84.nu.14.* Ipse ergo est ille, eas qui nobis dat scire, & in nobis operatur omnia. *Sap. d.c.9.nu.17. & 18. Apost. 1. ad Cor. d.c.2. nu.11. & 12. c.12. nu.11.* quod à Domino nobis expressissimè manifestatur. *Ezech.c.11.nu.19. c.36.nu.27.& 31.* sic dicente; *Et ponam spiritum meum in visceribus vestris, & faciam vt ambuletis in praeceptis meis, & iudicia mea custodiatis, & operemini,* per consequens etiam & gratiæ, & gratiarum efficaciæ, & bonorum nostrorum operum implementa non à nobis, prout à nobis, sed à Deo sunt, ea nos docente, & auxilium præbente, ea vt implere valeamus: operibus ergo diuinis si cooperamur, ipse tamẽ est, qui perpetuũ nobis suppeditat lumẽ, & vires, ea vt sciamus, ac ordinatè disponamus, & ad actũ re ipsa perducamus. *Psal.93.n.12.& 18. Psal.103.n.28. Psal.118 nu.66.68.117.133. Psal. 22.n.3. Io.c.14.n.16.17.& 26. Apost.ad Rõ.c.8.n.26.2.ad Cor.c.5.nu.5.* Cuius vt omnem huic sanctiss. aduersantem veritati à nobis euelleret, prçsumptionem, *Deut.c.8.nu.18.* populo suo sic per Moysen ait: *Recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum,* idest propter semet ipsum, *quia hoc tibi pollicitus est, ex mera gratia sua. Prou.c.16.nu.4. Iudith.c.13.nu.18.19.& 20.* si hæc ita in naturalibus, tantò etiam magis dicendum erit in ipsis supranaturalibus, ad quæ operanda nostræ non perueniunt vires, nec verè sumus nos, ea qui implemus, sed eius est spiritus, qui in nobis cum eo simul ea cooperantibus sua implet, & perficit virtute. *Exod.c.4.nu.12.& 15. Psal. 35.nu.8. Psal. 142.nu.11. Isa.c.48.nu.17. Mat.c.10.nu.20. Apost.ad Rom. d.c.8.nu.26.* Propterea. *Isa.c.26.nu.12.* post interfectionem Antichristi, & exercitus illius introducuntur electi Dei ei canentes gloriam dare sic dicentes: *Domine dabis nobis pacem:* æternæ videlicet gloriæ, dationis autem huius gloriæ rationem reddentes dicunt: *quia omnia opera nostra operatus es nobis,* tecum videlicet ea sic, vt supra, cooperantibus, alioquin nostra nullo modo dici possent, si nostra in ijs cooperatione nullam partem haberemus, re tamen vera non nos, sed ipse ea operatus est, nobis tamen, vt dictum est, cum eo ea cooperantibus, alias quomodo in Deo illa dici possent esse facta, si nos à nobis ipsis, qui vtiq; Deus non sumus, fecissemus ea? *Io.c.3 nu.21.* non solumq; est ille, ea qui in nobis operatur, verum etiam non propter nos, sed propter semetipsum principaliter operatur illa. *Prou.d.c.16.nu.4. Apost.p.ad Cor. d.c.12.nu.6. ad*

Coloss c.3.nu.11. Sap.c.7.nu.12.21.& 27. c.8.nu.4.& 5. Act.Apost.c.17. nu. 28. Quod & in spiritu, vt præmium est, contemplans Propheta, *Psal. 22.nu.1.2.3. &* 7. sic ait. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit. In loco pascuæ ibi me collocauit. Et deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum,* si ergo propter nomen suum, non propter nostram illi occurrentem voluntatem, *nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tù mecum es: & misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ: & vt inhabitem in domo Domini in longitudinē Dierum.* Si ergo Deus est in nobis, ab his quis nos commouebit? *Psal.45. nu.6.* cuius in nobis contemplans præsentiam, & virtutem. *Apost. ad Rom. c 8. nu 35. & seqq. vsque ad fin. cap.* sic ait: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* huius autem tantæ in nobis vigentis constantiæ, & virtutis rationem reddens non dixit: quia eius nos acceptando gratiam illi nostra efficaciam tribuerimus voluntate, vel ad id sufficientes fuerimus. quia omnis nostra à Deo sufficientia est, 2. *ad. Cor.c.3. nu.*5. verum dixit: *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, quia eius in nos dilectio prior nostræ est in eum causa dilectionis,* nam res vti supernaturalis non primitus à nobis, sed à Deo procedit, & pendet, *Io.* 1.*c.* 4.*nu.* 10. 7. *&* 16. Propterea confidenter subiungens ait. *Certus sum ergo, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neque virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro,* qui in nobis nostrum tanquam internum existens agendi principium præfatas supranaturales omnes operatur operationes in nobis in hoc nouo homine nostro existentibus de carne, & ossibus eius, *Apost. ad Eph. c.* 5. *nu.* 30. & sua cooperantibus virtute, & efficacia operibus eius, sic, vt supra, ab eo in nobis operatis, quia sine eo à nobis ipsis nihil omninò facere possumus, *Io. c.15. nu.5.* Nam si, velle vt valeamus eius implere præcepta, nobis necesse est, vt ea statuat Deus ante oculos nostros in timore suo, eo vt adducti, & adiuti illa perficere suadeamur, *Psal.*118.*nu.*38. methodo hac cōsequenter, & via nobis dat velle pro sua bona voluntate, *ad Philip.c.2.n.*13. Postquam verò ea facere sic voluerimus, in eorū quoq; nos deducat semitas, etiā opus est, *d. Psal.* 118.*nu.* 35. sic autem deducti: per eas, vt rectè incedere, & tuto currere valeamus, sua oportet cor nostrū dilatet charitate, *d. Psal.* 118.*nu.*32. Neq; etiam hoc satis est, sed oportet, vt de medio itineris offendicula auferat, & planum, & expeditum reddat iter. *Isa.c.57. nu.*

nu. 14. *c.* 62. *nu.* 10. nec non & currentium auertat oculos, ne videant vanitatem, ne illos ad eam declinantes à cœpto abstrahantur cursu, *d. Psal.* 118. *nu.* 37. nam manum mittens ad aratrum diuini colendi agri, & retrò respiciens non est aptus regno Dei. *Luc. c.* 9. *nu.* 62. *Apost. ad Philip. c.* 3. *nu.* 13. & sic sigillatim dicendum est de singulis egentijs nostris, ita vt à primo ad vltimum vsque manifestè palpemus, quod Deus verè est ille, qui nobis dat velle: incipere: mediare: & perficere: suā ergo nobis nunquam desinit subministrare benignitatem, & gratiam, hæc omnia facere vt valeamus, ac re ipsa faciamus pro sua bona voluntate, quoniam, *bona, beneplacens, & perfecta est. Apost. ad Philip. c.* 1. *nu.* 6. *c.* 2. *nu.* 13. *ad Rom. c.* 12. *nu.* 2. *Psal.* 50. *nu.* 20. Propterea, *Psal.* 36. *nu.* 23. scriptum est: *Quod Deus viam hominis volet: & quod gressus eius apud eum per eam dirigentur:* directi autem, per illam eius reddet cursus rectos, & itinera eius producet in pace. *Prou. d. c.* 4. *nu.* 27. In cursu ergo donec sumus, & ad plenitudinem perueniamus gratiæ, quæ in ipsa datur cursus meta ad adiuuandas imbecillitates nostras, quæ deficiunt nunquam, nouo Dei sicut semper indigemus auxilio, & gratia: gratiā sic super gratiam: auxilium super auxilium à Deo nobis impartiatur oportet, gradatim vt ea perficere valeamus, quæ nobis implenda supersunt, quia ea implere à nobismet ipsis sufficientes non sumus, sed nostra omnis, vt dictum est, à Deo sufficientia pendet, *Apost.* 2. *ad Cor. d. c.* 3. *nu.* 5. A Deo ergo vt recipiamus, sicut velimus oportet: sic vt velimus à Deo recipiamus oportet, quia in nos quodcumq; prouenit bonum, eius in nos prouenit misericordia, benignitate, & gratia: vt ergo velimus, & cooperemur, adiuuemur, oportet, quia *Dominus nobis dat velle, & perficere pro sua bona voluntate, &c.* & scriptura si solui non potest, & eius omne verbum est veritas, *Io. c.* 10. *nu.* 35. *c.* 17. *nu.* 17. esse verum quomodo posset, quod sine ipso nihil facere possemus, si eius effectus gratiæ non ab ipso, sed à nostra verè penderet voluntate, qui enim nihil faciendum admittit, omne penitus excludit, excluso ergo: nihil omninò sine eius auxilio, & gratia facere valeamus, consequens est, *Io. d. c.* 15. *nu.* 5. *Psal.* 83. *nu.* 12.

Etsi virtus, & efficacia vltra agentium terminos, & potestatem se extendere non valent, quomodo supernaturalium virtus, & efficacia, quæ infinita sunt, à nobis qui finiti sumus, pendere poterunt? quid aliud præterea est ipsa efficacia, quam virtus; & virtus, quam illius pars substantiæ, cuius illa dicitur virtus, si ergo efficacia ipsius dicitur gratiæ, & illius est verè, iam non à nobis sit, consequens est, alias in se ipsa di-

uisa esset substantia gratiæ, illa ergo si de substantia est gratiæ, ab illaque pendet, iam non á nostra voluntate, alioquin a semetipsa abesset gratia, absens autem gratia non esset. *Apost. ad Rom. c.* 11. *nu.6. Io. c.*4. *nu.*14. Siq; vt præmisimus supernaturalium viam nouit nemo, nisi ipse Deus, & eam ambulare supra omnem naturalium virium nostrarum sit virtutem cum ad infinita peragenda infinita sit necessaria virtus, consequens est etiam, vt in hac supernaturali perambulanda via simus tanquam infantuli nondum á nobis ipsis gradiri valentes in manu gratiæ Dei, prouidæ tanquam nutricis nostræ, nam re vera omnium nostrum est illa nutrix, *Sap. c.* 15. *num.*25. Quemadmodum igitur infantulus suam post nutricem adhæret, & ipsa eum suscipit dextera sua, & per viam, qua ipsa graditur post se trahens gressus illius in suis paulatim reponit semitis, vt in ijs sic repositis, per illam rectus incedere valeat. Postgratiam sic & nos adhæreamus, & ipsa sua nos suscipiat dextera oportet, *Psal.*62.*nu.*9. ac in semitis eius nostros sigillatim reponens gressus post se trahat. *Psal.*48.*nu.* 14. vt per viam, qua ipsa graditur, & nos recti incedere valeamus, *Psal.*142.*nu.*11. sic autem illa faciens ad nos rectum dicitur adducere iter. *Eccl. c.* 4. *num* 20. per illud autem ad nos sic adductum rectos facit cursus nostros, & itinera nostra producit in pace, *Prou. d. c.* 4. *nu.*27. *Psal.* 16. *nu.*5. *Psal.* 126. *nu.*1. Quod sanctissimè contemplans, *Ier c.*10. *nu.*23. sic ait: *Scio Domine, quoniam via hominis non est eius: nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus eius,* quia, vt dictum est, ipse est Deus, qui sub pedibus hominis rectum prosternit iter, & in semitis suis sanctis eius omnes pedetētim reponit gressus, & rectos facit cursus eius, & itinera illius producit in pace. Propter hoc tamen ex his inferri non potest, vt impiè faciunt multi, qui blasphemantes asserunt: Quod ex eo arbitrium nostrum circa huiusmodi supernaturalium cooperationem agere nihil valeat, quia a lapsu primorum parentum nostrorum illius in nobis penitus extincta remanserit virtus, ideò ea quicunq; operantur coacti a Deo operentur illa, quia, etsi huiusmodi re vera ex Dei in nos mera proueniant liberalitate, & gratia, vt superius demonstratum est, non tamen verum est, quod nostri virtus, & libertas arbitrij extincta manserit, vt ex infra allegandis scripturæ locis manifestissimè patet, id nec deceret, quoniam, *quod fecit Deus non infirmat, Eccl. c.*47. *nu.*24. Neque etiam verum est, quod coacti agamus ea, *Eccl. c.*31. *nu.* 10. *Pet.* 1. *c.* 5. *nu.*2. *Apost. ad Philem. cap. vnico nu.* 14.

Qui ideò alterutro dumtaxat ex præmissis extremis adhæret, alterum exclu-

excludens blaſphemat, quia ſicut dicere, quod à Deo coacti eius diuinis cooperemur operibus, diuinæ nō conſentit veritati. *Gen.c.4.nu.7. Deut. c.30.nu.19. Ioſ.c.24 nu.15.& 22. Prou.c.7.nu.2. Eccl.c.15.nu.16.17.& 18.d.c.31.nu.10. Mat.c.19.nu.17. Apoſt.ad Rom.c.2.nu.13.ad Philem.d.c. vnico nu.14. Pet.p.d.c.5.nu.2. Iac.c.1.nu.24. & paſſim per vniuerſa ferè ſcriptura loca.* diuinæ ſic non conſentit veritati aſſerere, quod diuinæ efficacia gratiæ a noſtra merè pendeat voluntate, vt ſuperius iam demonſtratū eſt, quodcunq; autem diuinæ non conſentit veritati id omne mendacium eſt. *Io.1.c.2. num.21. omne* verò *mendacium mentientis occidit animam Sap.c.1.nu.11.* Priores forſan autem in hoc lapſi ſunt eo quod planè perſpicientes, quod ſupranaturalia noſtro re vera non eſſent natura ſubiecta arbitrio, illud propter hoc ad ea tanquam naturaliter operanda impotens de medio abſcindendum fore putauerint non animaduertentes, quod ea, noſtris quæ deſunt viribus immenſa in nobis ſuppleat potentia Dei. Nam & ſi nos omnes ſatanæ tentationibus natura ſubiecti ſimus, cuius vis, & poteſtas noſtram omnem longè, latèq; exuperat vim, & poteſtatem, *Iob.c.41. per totum*, & ſignanter: *nu.24.* & cuius tanta eſt in nos concita ira, vt deſinat nunquam inquirere, noſtrum quem deuoret. *Apoc.c.12.nu.12.& 17. Apoſt.ad Epheſ. c.6.nu.12.& 16. Pet. 1.d.c.5 nu.8.* ita, vt ſi noſtra cum eo naturaliter eſſet terminãda colluctatio de nobis actum omninò futurū fore iudicãdū eſſet. Verum noſtrū ſi neminem ab eo tentari permittit Deus ſupra id, quod datū eſt nobis ex gratia poſſe, ſed magis cum tentatione prouentum facit, vt abundantius ſuſtinere valeamus. *Apoſt. 1.ad Cor.c.10. nu.13.* cur etiam noſtro etſi natura non ſint ſupranaturalia ſubiecta arbitrio ex eadem eius gratia, liberalitate, & clementia noſtras ſubleuans imbecillitates, & ſua nos fulciens virtute, & gratia, ac continuatis ſuis gratiarum ſuffragijs non efficit, vt illis quoq; ſi velimus, cooperari valeamus? ad noſtram propterea eruditionem *Prou.c.24 nu.12* ſcriptum ſic inuenimus: Quod ſi quis dixerit, quod *vires* (ſibi a Deo impartitæ) *non ſuppetant, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelliget, ſeruatorem enim animarum noſtrarum fallere nihil poteſt, nam ſi in pondere, numero, & menſura facit omnia* ſciet etiam ſi virium nobis traditum pondus ad ſuas ſuſtentãdas ſuſtentationes, noſtraſq; cōplendas cooperationes fuerint ſufficiētes, nec ne? *Sap.c.11.nu.21. Iſa.c.27 nu.8.c.28.n.17. Apoſt.ad Rom. d.c.8 nu.26. ad Eph.c.3.nu 20.* Huiuſmodi ergo & ſi a nobis ipſis natura adimplere nō valeamus, in ipſo tamē, & propter ipſū omnia poſſumus *Apoſt.ad Philip.c.4.n.13.ad Coloſ.c.1.n.11.2.ad Cor.c.4.n.7.ad Rom.c.11. nu.36.*

nu. 36. quoniam *nihil eorum, quæ fecit, odit Deus, sed amat omnia, & præsertim animas nostras, & de omnibus illis ei est cura, quoniam sua sunt. Sap. c. 11. nu. 25. & 27. c. 12. nu. 13. Pet. p. d c. 5. nu. 7. Mat. c. 6. nu. 26. Luc. c. 12. nu. 24. & 26.*

Isti ergo, non secus ac illi de diuinis malè sentientes gratijs, gratiarumque efficacia, quæ à donatore indeficiente Deo secundum suum nobis impartiuntur beneplacitum, à quorum calore, & beneficentia, nemo est, qui destitutum se fuisse, vel esse cum veritate dicere queat, *Psal. 18. nu. 7. & Psal. 26. nu. 10. & 11. Psal. 28. nu. 10. Isa c. 49. nu. 15. c. 56. nu 14. c. 65. nu. 12. c. 66. nu 4. Ier. c. 7. nu. 13. Prou. c. 1. nu. 23.* non tantum in hoc lapsi sunt, patentem vt hanc negauerint veritatem, quæ ex iam allegatis, & alijs multis, allegari quæ possent, est comprobata scripturis, quæ de nostri expressè enunciant libertate arbitrij, quarum enunciata soluantur, & irrita fiant, impossibile est, quoniam, *Deus verax est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, Psal. 144. nu 13. & 17. Io. c. 10. nu 35. c. 3. nu. 34. Apost. ad Rom. c. 3. nu. 4.* sed & in tot, tantaq; alia huius occasione inciderunt errata, vt mente vix concipi queat, non mirum tamen existimandum est, quia si quantumuis leuis deuiatio à via veritatis in plurima, & maxima deuiatem potest demergere errata, vno quoniam dato inconuenienti plura sequantur, consequens est, *Iob. c. 31. nu. 7. Apost. 1. ad Cor. c. 5. nu. 6. ad Gal. c. 5. nu. 9.* quanto magis ista, quæ non modo non leuis, sed maxima: non deuiatio, sed pertinax impugnatio diuinæ veritatis á Sacrosancta Ecclesia per multa ante sæcula reprobata, & damnata, quam repetentes extinctum hæresis illius denuo incendunt ignem, & tranquillitatem Ecclesiæ perturbant. Nonne post lapsum primi parentis nostri Adæ extitit Cain? *Gen. c. 3. nu. 6. c. 4. nu. 1.* tamen ex Dei expresso testimonio si voluisset, potuisset ipso adiuuante Deo benefacere, & ex huiusmodi benefacto mereri, & benefacti tandem illius in tempore suo à Deo accipere mercedem, vt & alij potuissent, potuerunt, & possunt, *Gen. d. c. 4. nu. 7. Eccl. c. 51. nu 38. Apost. ad Rom. c. 2. nu. 2. ad Gal. c. 6 nu 7. 8. & 9 2. ad Tim. c 4. nu. 7. & 8. Iob. c. 34. nu. 11. Psal. 61 nu. 13. Prou. c. 11. nu. 18. & 19. Ecclef. c. 12. nu. 14. Sap. c. 5. nu. 16. Mat. c. 5. nu. 12. c. 6. nu. 4. c. 10. nu. 41. & 42. c. 16. nu. 27. c. 20. nu. 8. Mar. c. 9. nu. 46. Luc. c. 6. nu. 35.* & per alia scripturæ loca. Nonne post illorum quoque lapsum extitit Iosue, & omnes duodecim tribus Israel? Hi tamen non coacti, vt huiusmodi asserunt, sed ex eorum libera arbitrij libertate Domino, ipso tamen ad id eos adiuuante, seruire elegerunt,

& eum

& eum Dominum, & Deum ipsorum esse confessi sunt, *Ios. c.24. num.* 15.21. *&* 22. & sic de singulis per singula scripturæ loca ratiocinando inferri potest absq; eo, quod singula per extensum ponantur. Si æquè ergo ad bona, & mala libera nostra possumus inclinare arbitrij libertate, illud vtique neq; extinctum, neq; coactum sit, sed ad id, quod ei magis placet, libere accedere valeat, consequens est, quemadmodum ex proprio D.N. Iesu Christi ore confirmatum fuit. *Luc. c.* 10. *nu.*42. ad Martham sic de eius sorore Maria dicentis: *Maria optimam partem elegit, &c.* Si ipsa eam elegit, non vtique compulsa recepit, quia electio vnicum est liberi arbitrij nostri naturale opus, sine quo huiusmodi esse non posset, & quo intercedente ita sit, consequens est. Propheta præterea *Psalmis* 53.*nu.*8. 27.*nu.*7. Dominũ sic alloquens ait: *Voluntariè sacrificabo tibi: Et ex voluntate mea confitebor tibi:* si ergo ex voluntate sua non coactè, quia coactio nostram impugnat voluntatem, & eius est exaduerso contraria libertati, *Apost. ad Philem. c. vnic. nu.* 14. *Pet. p.d.c.5 nu* 2.

Supernaturalia ergo vti talenta nobis à Deo in eius gloriam, & nostræ salutis prouentum tradita non ociosè detineamus, sed proficuè operemur oportet, quemadmodum ex parabolæ talentorum exitu discere possumus: vbi, qui ex eorũ negotiatione aliquid superlucrati sunt, in præmium æternam sunt cõsecuti vitam, qui verò ociosè ea detinuerunt, in infernum in pœnam depulsi sunt, *Mat. c.*25. *nu.*20. *& seq. vsque ad fin. cap.* quia, ex ijs plurimũ vt afferamus fructũ, & fructus noster maneat glorificatur Deus, & nostræ nos cooperamur saluti, & eius certiorem reddimus exitum, *Io. c.*15. *nu.*8. *&* 16. *Mat. c.*5 *nu.*12. *Apost.* 2. *ad Tim. c* 4. *nu* 7. *&* 8. *ad Heb. c.*11. *nu.*26. *Pet.* 2. *c.*1. *nu.*10. *&* 11. ex huiusmodi propterea talentis, qui plus acceperit, ab eo etiam plus exigetur fructus, quia ad talenti accepti rationem debet esse fructus. *Luc. cap.*12. *nu.*48. propterea accipientibus ea prædicitur, quod, si ex ijs fructum non reddiderint, tanquam arbores infructuosæ excidentur, in ignem mittentur, & ardebunt, quoniã *Deus non inutiles, sed operosos amat filios. Mat c.*3. *nu.*10 *c.*19 *nu.*17. *c.*21 *nu.*43. *Mar c.* 10. *nu.*19. *Luc. c.*12. *nu.*42. *c.*13 *nu.*7.8 *&* 9. *c.*18 *nu.*18. *Eccl c.*15 *nu.*22.

Quod documentum, nostræ tanquam saluti necessarium, in mentibus discipulorum suorum volens imprimere Dominus *Io. d. c.*15. *nu.*16. *sic ait: Ego elegi vos, & posui vos* (inter membra videlicet corporis mei, ipsi quod est Ecclesia, *Apost. ad Eph c.p n.*22 *& p. ad Cor. c.*12 *nu.*27) *vt eatis*, idest non ociosi, sed operantes sitis, *& ex opere vestro fructum afferatis,*

ratis, & fructus vester iste maneat. Manens autem fructus est ille, qui post illius operationem à suo non destruitur, vel dissipatur operatore: operator autem ille, qui sui post boni operis operationem, peccat, opus illud bonum, quod ante fecerat, subsequenti suo destruit, & dissipat opere malo. *Ezech. c. 18. nu. 24. & c. 33. nu. 13.* propterea, *Eccl. c. 34. nu. 30. & 31.* sic scriptum est: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, ei quid prodest lauatio eius?* sic homo, qui à peccatis suis ieiunat, & iterum facit ea, quia per subsequens peccatum perdit omnia, quæ ante fecerat bona, *Eccles. c. 9. n. 18. Iac. c. 2. nu. 10.* quia mortificata manent. Seductionem autem antedictam in Ecclesiam irrepturam fore in spiritu Dei sancti præuidentes Apostoli nos sæpissimè commonuerunt, ne falsis hominum huiusmodi suasionibus nos seduci permitteremus, *Apost. ad Eph. c. 5. nu. 5. & 6. Io. eius 1. c. 2. nu 26. 27. & 29. c. 3. nu. 7. 10 12. & 15. dicentibus: Nemo vos seducat*, vobis persuadens, quod cooperationes nostræ bonæ nō sint ad salutem nostram necessariæ, & meritoriæ, *quia vobis asseuerâter, dicimus: Quod iustus est ille, qui iustitiā actualiter facit, eam verò qui non facit, iustus non est, quoniam non auditores, sed factores legis, & iustitiæ iusti sunt apud Deum. Apost. ad Rom. c. 2. nu. 13. 21. 22. & 23. 1. ad Cor. c 13. nu 2. ad Gal. c. 5. nu. 6. Iac. c. 1. nu. 23. 24. & 25. c. 2. nu. 24. & 26. Mat. c. 7. nu 24. & seqq. vsq; ad fin. cap. dd. c. 19. nu. 17. c. 21. nu. 31. Luc. c. 6. nu. 48 Eccl. c. 26. nu. 24*

Propterea Dominus noster Iesus Christus ad eruditionem nostram, *Mat. d. c. 7. nu. 21.* dixit: *Non omnes, qui dicunt: Domine, Domine, intrabunt in regnum cælorum, sed qui actualiter fecerint voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipsi intrabunt in regnum cælorum*, vt patet ex exemplo posito, *d. Mat. c. 21. nu. 31.* Neq; huic aduersatur id, quod, *Idem Apost. ad eosdem scribit Rom. c. 3. nu. 28.* dicens: *Arbitramur enim iustificari hominem sine operibus Legis*, quia ibi Apost. de prima loquitur iustificatione, & gratia, vt ex eiusdem verbis manifestè colligitur, *à nu. 21. vsq; ad fin. cap.* Nam, si nostra ad fidem assumptio verè vita est ex mortuis, vt idem asserit, *Apost. ad eosdem c. 11. nu. 15. mortui quid quæso à se ipsis facere possunt, vt denuò in vitam resurgant?* nihil certè: quia à priuatione ad habitum non datur regressus, *Sap. c. 16. nu. 14.* manifestum consequenter est, quod vniuersum viuificationis huius opus ab ipso absolutè procedit, & pendet viuificante Deo, *Ezech. c. 37. nu. 5. & 6. Io. c. 5. nu. 24. Iob. c. 14. nu. 4. Apoc. c. 11. nu. 11.* Propterea *eodem c. 3. nu. 26. & 27. Apost. subiungens ait: si ergo ipse est Deus, qui iustificat te: vbi est gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei. Propterea arbitramur hominem*

minem

305

minem iustificari per fidem sine operibus legis, quia assumptio nostra ad fidemq; verè Dei donum est, à Deo nobis gratis donatum vllo absq; operum nostrorum intuitu, Psal.88.nu.19. Sap.c.3.nu.14. Apost. ad Rom.dd.c.9.nu.12.c.11. nu.6.2. ad Tim.c.1.nu.9. ad Tit.c.3.nu.5. ad Philip.c.1.nu.29.

Postquam verò ab eo ad hanc iustificationis, & Sanctitatis sumus assumpti, & regenerati vitam, ac in eius filios per fidem recepti, quod eiusmodi non debeamus cooperari operibus vitæ, paternamq; ab eo nobis insculptam conseruare imaginem, & eius gerere similitudinem, quę in ipso consistit opere vitæ, *Sap.c.2.nu.12.& 15.* ipsi naturæ, ac rationi, qua homines sumus, est omninò contrarium, quia si vita, ad quam assumpti sumus, est vita iustitiæ, sanctitatis, & innocentiæ, *Apost.ad Eph. c.4.nu.23.& 24.* & nihil aliud est vita, ipsum quam viuere, viuereq; nil aliud sit, ipsum quam opus eius exercere vitæ, quo viuens ipse eam verè viuit vitam, quam viuere dicitur: opera consequenter iustitiæ, sanctitatis, & innocentię operemur, oportet, vt eam, ad quam exuscitati sumus, verè viuamus vitam, aliasq̃ non viuentes, vel denuò mortui essemus, consequens est, *Pet.2.c.2.nu.20. & seq. Iud. eius vnica nu.12. Io.c.5.nu.14. & eius p.c.3.nu.14.* nam, vt superius dictum fuit, cum mors, & vita verè sint sibi exaduerso contrariæ, *Eccl.c.33.nu.15.* vnius consequenter illarum inclusio erit alterius exclusio, & è contra sicut ergo, eam vt viuamus, quam viuere debemus vitam, eiusdemmet necesse est operibus cooperemur vitæ, quia vita met ipsa eiusdem est opus agere vitæ, in quam translati esse dicimur, sic operibus illis qui non cooperātur mortui sint, consequens est, quia vitæ illius non agunt opus, quod re vita est illa, quam viuere debent. Non ne in natura viuens omne proprio suo sine opere gignitur, & vitā absolutè recipit à genitore suo? postquam tamē in ipsam re editum est naturam, eius, quam sic, vt supra, à suo recepit genitore, operibus cooperetur vitæ, vt viuat, necesse est: sic & nos, postquam à Deo geniti sumus suæ verbo veritatis, vt in tum simus aliquod creaturæ eius. *Iac.c.1.nu.18. & Pet.1.c.1.nu.23.* huiusmodi à Deo receptæ cooperemur operibus vitæ, necesse est, vt eam verè viuamus, quam ab eo recepimus vitam, ac veri eius simus filij. Sicut ergò vita naturalis nostra continuata est operum vitæ series ab ortu, eius tanquam noto principio ad interitum vsq; eius tanquam notum intercepta finem, *Sap.c.7.n.6. Eccles.c.9.nu.10.* Spiritualis sic vita nostra continuata est iustitiæ, & sanctitatis series ab ortu regenerationis nostræ eius tanquam noto principio, vsq; dum Deo, qui nobis dedit illum, reddamus spiritum nostrum, *Io.c.3.nu.3.& 7.c.9 num.4 Eccles. d.c.9.*

nu.10.c.12.nu.6. & 7. Apoſt. 2. ad Cor.c.5.nu. 17. ad Gal. c. 6. nu. 2. ad Philip.c.3.nu.13. 2. ad Tim.c.4.nu.7. Propterea *Eccl. c. 30. nu. 23.* dicitur: quod noſtra ſpiritualis vita eſt theſaurus ſine defectione ſanctitatis, & iuſtitiæ. Nam ſi nos elegit Deus in filios, vt ſancti, iuſti, & immaculati eſſemus in conſpectu eius, in charitate in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, *Apoſt. ad Eph. c.1. nu.4.* conſequenter etiam vt filij ſimus, iuſti, ſancti, & immaculati ſimus, oportet, quia iuſtus ſine operatione iuſtitiæ, ſanctus ſine ſanctitate, immaculatus ſine munda vita eſſe, Deumq; videre non poteſt. *Io.p.d.c.3.nu.10.12.15.* & eius *3.n.11.Iac.c.1.nu.22.23.& 24.c.3.nu.18.Mat.d c.7.nu.21.24.& ſeqq.Pſal.16.nu.15.Pſal.102.nu.18.Pſal.117.nu.20.Iſa.c.26.nu.2.Apoſt.ad Col.c.p.n.22.& 28.*

Iſtorum autem erronea opinio cum ex his, quæ de nouo noſtro à nobis traduntur homine, conquieſcere valeat, eos, paucis his qui non acquieſcunt, illuc potius remittendos eſse, quam inanem congerere laborem, & importuna repetitione beneuolum tędio afficere lectorem, arbitrati ſumus. Pauca tamen hæc in medium afferre omninò effugere non potuimus, ne dum eorum opinionem, noſtro qui nimium tribuunt arbitrio excludere conaremur, hi, qui illud de medio tollere tentant, his, quibus ad illa vtimur, ad hæc impropriè abutentes fundamentis, in ſua ſe magis obfirmandi erronea opinione occaſionem ſumerent, ſi intactam erroris eorum omninò reliquiſſemus viam. Reuertentes ideò vnde digreſſi ſumus, profundiſsimum arcanum hoc diuina vt gratia, & virtute a tenebris, quantum in Domino fieri poteſt, in lucem educamus, ſciendum eſt, quod ad eam, quam nos ex gratia a Domino conſequi diximus iuſtitiam, noſtra etſi nos etiam expreſsa voluntate, externaque concurramus cooperatione, non duo tamen ſunt inter ſe ab inuicem diuiſa, & ſeparata opera: vnum quaſi à Deo merè diuinum: aliud verò à nobis merè humanum, ſed vnicum dumtaxat diuinum eſt opus. Nam & in ipſo morali opere, etſi animale, ſeu ſenſibile cum eo concurrere videatur opus, prout facto met noſtris ita videtur eſse ſenſibus, non duo tamen verè ſunt opera: vnum ex his quaſi merè animale: aliud verò merè morale, ſed vnicum dumtaxat eſt verè morale opus, quia illud, quod ſenſibus noſtris animale eſse videtur, huic accedit morali non tanquam quid per ſe ab ipſa ſeparatè formatum moralitate, ſed ipſius tanquam extrinſecus moralitatis actus, & index, ſeù demonſtratiuum materiale ſignum, per quod internæ virtutis exterius noſtræ eluceſcit gloria mentis, nam cum extrinſecum hoc, quod nobis ſenſibile eſse videtur, in illud morale concurrat, non tanquam opus à ſenſibili ſua

eductum potentia, ipsa quæ concupiscentia est, sed à voluntate illud ad extra recta cum ratione educente, ac in sublimiorem illud euehẽte operis gradum, sicut re non concupiscentiæ, sed rationis verè est actus; sic etiam nec animale, sed morale sit opus, ipsa postulat ratio, quoniam ex indiuiduis his duabus intrinseci, & extrinseci partibus ipsũ integraliter morale re vera constat opus. Nam quemadmodum in homine sensibile corpus pars extrinseca vicem gerens materiæ, & anima rationalis pars intrinseca vicem gerens formæ in esse formali non duo, sed vnum sunt substantia tantum, quoniã ex materia, & forma in vnam simul collata hypostasis vnitatem vnicum tantummodo resultat formatum, non quale ipsa est materia, sed quale verè est ipsa forma: in opere sic morali ex parte illa extrinseca, quæ animalis esse videtur, vicem materiæ cum hac intrinseca rationali vicem formę respectiuè gerentibus in vna simul iuncta operis vnitate vnicum dumtaxat in esse formali resultat opus, non quale ipsa extrinseca materiata pars esse videtur, sed quale ipsa formalis est intrinseca pars, quia sicut non à materia, sed à forma suum re vera recipit esse formatum, sic opus nõ ab extrinseco eius actu, sed ab interna illud agentis voluntate suum re vera recipit esse, *l.* 1. *§. Iulianus*, rectè vers. non quasi precario vsum, sed quasi non vsum, *ff. de iti. actuq; priu. Eccl. c.* 16. *nu.* 15.

Sic & non aliter ad diuinam illam à Deo in nobis operatam iustitiam ipsa est cooperatio nostra, quoniã hæc illi adiacet non tanquam quid per se à nobis ab illa separatè effictum, & formatum, sed tanquam extrinseca illius indiuidua pars in ea vicem gerens materiæ à diuina voluntate, altera tanquam parte in ea vicem gerente formæ in euectionem translata operationem iuxta ea, quæ superius de morali dicta sunt opere singula singulis congruè referendo, ita vt cooperatio nostra ad præfatum opus relata diuinum, seù à Deo in nobis operatam iustitiam, purum sit, & esse dicatur index virtutis Christi huiusmodi supernaturale in nobis operantis opus, seù extrinsecum illius demonstratiuum materiatum signum, per quod internæ virtutis exterius in nobis elucescit vita, & gloria Christi. *Sap. c.* 5. *nu.* 13. *Apost. ad Ephes. c.* 3. *num.* 20. *ad Philip. c.* 1. *nu.* 11. 2. *ad Cor. c.* 4. *nu.* 10. 11. Propterea *Isa. c.* 61. *nu.* 11. scriptum est: quod *Deus est ipse, suam qui in nobis germinat iustitiam*, quoniam illa, quam nos operari dicimur, verè Dei est iustitia in fide. *Apost. ad Philip. c.* 3. *nu.* 9. *Isa. c.* 54. *nu.* 17. quam ipse in nobis ex gratia operari dignatur in eamdem concurrentibus operationem cooperatione nostra, *Isa. d. c.* 26. *nu.* 12. *Ezech. d. c.* 36. *nu.* 27. *Apost. p. ad Cor. c.* 12. *nu.* 11.

 2. ad

2. *ad Eosdem c.4. n.10. & 11. ad Gal. c.5. n. 16.* prout facto met ipso manifestè patet ex ipsa B. Petri deambulatione super aquas absq; demersione, *Mat. c.14. nu.29.* nam huiusmodi absq; demersione deambulatio super aquas vnum vtique solidum dumtaxat est opus, quia etsi ad illud formandum duo hæc inter se mente distincta in eo intercedere dignoscamus ipsa nempè pedum Petri positio super aquas, & quod hi sic positi sub illis non demergerentur, duo tamen ista cum ab inuicem illo in opere non sint re ipsa separata, separari nec possint, solidum vnum dumtaxat sint opus, consequens est: cumq; rursus huiusmodi absq; demersione deambulatio super aquas nostræ non sit opus naturæ, non nostrum etiam, sed diuinum sit opus, consequens est, quia opus vltra agentis vires, & potestatem se extendat, impossibile est, nostrum ergo si esset opus ad ea, quæ nostram sunt supra naturam non se extenderet, quia ad ea nulla nostræ est potestas naturæ. Sicut & in illa dicere possumus deambulatione trium puerorum Sidrach, Misach, & Abdenago in fornace ignis ardentis vlla absq; eorum, ac vestimentorum illorum læsura, & odore ignis, *Dan. c.3. nu.92 94.* quia duo illa sic mente contemplata ab inuicem non sunt re ipsa separata, separari nec possunt: non duo ergo, sed vnicum sunt tantumodo opus, & illud quidem non humanum, sed verè diuinum per ea, quæ superius dicta sunt. Verum dicet forsan aliquis: Hæc ea de re ita se habent, quia miracula sunt ita equidem: sed quid aliud est, quam miraculum, quòd hominis terreni, caduci, finiti, & mortalis extrinseca cooperatiuncula operi accedente diuino supernaturalia, quæ infinita sunt, perfecta maneant? hoc ergo ab illis non in alio differt, quam quod illa visibilia sint miracula, hoc autem inuisibile, idq; illis admirabilius certè, quia duplicis in se miraculi pondus habet: primum, quod finita cooperatione infinita perficiantur; secundum, quod actu visibili inuisibilia, & æterna absoluta, & completa maneant, per huiusmodi tamen non intendimus supranaturalium effectum nostrę tribuere cooperationi, quia expressè impugnaremus, quod affirmare profitemur, sed vt curiosam illam tantùmodo dilueremus obiectionem, quia constanter affirmamus, quod & huiusmodi effectus ab ipso realiter procedat, & pendeat opere diuino, & quod eiusdem operis diuini pars indiuisa sit ipsa cooperatio nostra.

Nam & in diuinis voce manifestandis mysterijs tam ipsa oris nostri aperitio, per quam verba enunciatiua eorumdem emittuntur mysteriorum, quam verbamet ipsa per eamdem nostri emissa aperitionem oris, quorum medio illa hominibus manifesta sunt, nostræ propriæ

ex

ex omnium voto dicuntur esse operationes, & ita re ipsa esse videntur, verè tamen non nostra sunt in huiusmodi opere diuino, sed ipsius Dei per illa eius in nobis internum manifestantis reuelationis opus, cuius illa dicuntur esse, & sunt verè extrinseca indiuidua pars, Domino hoc, *Ezech.c.3.nu.27*. sic affirmante: *Cum autem tibi locutus fuero, ego aperiam os tuum, & tù dices ad eos*: Necnon & ipsa, quæ ad eos dicturus erat, & dixit verè nō ipsius, sed Dei erant verba Domino hoc rursus attestante, *Mat.c.10.nu.20.sic: Non .n. estis vos, qui loquimini, sed est spiritus patris vestri, qui in vobis loquitur*. Quod rursum nobis reuelauit per Prophetam sic, *Reg.2.c.23.nu.2*. dicentem: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam*, huiusmodi propterea cooperatio nostra in Deo dicitur esse facta, *Io.c.3.nu.21*. à nobis autem si illius tanquam proprio facta fuisset principio, in Deo quomodo facta fuisse dici posset, si nos, qui Deus non sumus, à nobismet ipsis verè fecissemus ea? hinc patet, quod dicta cooperatio nostra in ipsa consistit voluntaria membrorum nostrorum exhibitione à nobis Deo facta, vt per ea, eius tanquam membra corporis diuinum illius in nobis ipse operetur opus: Verum cum ista vberius, ac dilucidius à nobis explicentur de nouo nostro homine, hic sic breuiter pro nunc attigisse satis existimātes nostræ vnius huius dumtaxat exempli similitudine vlteriori finem imponemus disputationi. In huiusmodi ergo supranaturali opere operando nos sumus in ipso sicut solari horario ipse est gnomon, cuius opacitatis corporis proprius effectus vmbra est illa, quam super dicti horarij lineis, earumue interuallis extensam videmus: eiusdem tamen vmbræ proiectus, quem sic super illas actu extendi videmus, dictæ quatenus est vmbræ actus proiectiuus, illius nec non motus progressiuus per dictas ascendens lineas, linearumue intercapedines, elapsorum quatenus est temporis minutorum, ac horarij cursus mensuratiuus, distinctiuus, ac demonstratiuus actus nō a gnomone, quoniam suam a seipso proijciendi, ac mouendi vmbram, metiendiq; temporis interualla virtutem non habet, sed hæc a sole merè procedunt, & pendent, qui ab Orizonte emergens suorum radiorum splendore in opacum exaduerso feriēs gnomonis corpus in eius oppositam partem illius proijcit vmbram, quam sic proiectam, prout ipse super hemisphærium gradatim ascendit post se trahens, eam ascendere facit super præfata linearum interualla, lineasq; metipsas dicti horarij ijs ad vnguem correspectiuis partibus, quas ipse super hemisphærium ascēdens paulatim perficit, ac complet. Proprium ergo gnomonis opus est non se mouere, sed exaduerso

so meridionalis lineæ in pariete, seu plano illo, vbi tota horarij est delineata norma, firmum, & immobile perpetuò permanere, in reliquis ipse est sol, qui illius vmbræ proiectum iacit, ac illius omnes iuxta suum cœlestem motum super quantumuis minutas dicti horarij partes operatur ascensiones. Sol ergo sicut indeficienti motu ab eius regulata super hemisphærium ascensione deficit nunquam, sic ad superioris cursus sui normam in ipso horarij plano post se gnomonis vmbram attrahere cessat nunquam, non cessans autem perennem se sicut totius horarij exhibet formam suum indeficienter operantem opus: gnomon sic ab illius perenni famulatus firmitate, tanquam obediens materia se subtrahat nũquam, necesse est, quia sicut materia de perse sine forma agat, impossibile est: sic sine materia in materiato formato ipsa non agit forma, alterutro ideò deficiente tota dicti horarij machina perit. Sic & non aliter iustus super stabile, firmum, & immobile Ecclesiæ fundamentum, ipse quod est Christus. *Apost. P. ad Cor. c. 2. nu. 11.* firmiter, & immobiliter perpetuò permaneat oportet. *Prou. c. 10. nu. 25. & 30. Eccl. c. 26. nu. 24. Apost. 2. ad Tim. c. 2. nu. 19. ad Heb. c. 3. nu. 14.* ac incessanti subiectione sub eius ex directo meridionali linea localiter positus indeficienter perseueret, necesse est, illa quæ est via, quam Sol iste iustitiæ Christus Dominus noster, *Sap. c. 5. nu. 6. Malach. cap. 4. nu. 2.* suæ perficiendo vitæ cursum peragrauit, ipsa quæ est dilectio, & obedientia, *Eccl. cap. 24. nu. 25. Io. c. 14. nu. 5. & 6. 21. & 24. cap. 15. nu. 9. 10. & 13. c. 16. nu. 27. c. 8. nu. 29. c. 10. nu. 7 & 27. Apost. ad Philip. c. 2. nu. 5. ad Heb c. 5. nu. 8. 9. & 10. c. 12. nu. 2. indoles propterea, & natura iustorum ipsa dicitur esse dilectio, & obedientia. Eccl. c. 3. nu. 1. Io. c. 13. nu. 35. & eiusdem p. c. 5. nu. 2. & 3.* in qua huiusmodi qui sunt, *vt Sol perpetuò permanent, aliter qui sunt, vt Luna mutantur Eccl. c. 27. nu. 12. Apost. p. ad Cor. c. 15. nu. 58. ad Colos. c. 1. nu. 23. ad Heb. c. 3. nu. 14 c 10. nu. 23.* in illa autem sic, vt oportet, immobiles permanentes ascensiones suas non eorum priuata virtute, & efficacia, quia *Sine isto Sole iustitiæ à se ipsis nihil facere possunt, Io. c. 15. nu. 4. &* 5. sed dictas in corde suo ascensiones disponant oportet desiderantes à Domino, suæ prout maiestati magis placet, moueri, atq; super eas deduci, *Psal. 83. nu. 6. Io. p. c. 5. num. 13. Prou. c. 16. nu. 9.* eos autem sic desiderantes secundum suum mouens beneplacitum Deus *de virtute in virtutem suæ efficacia actualiter deducet gratiæ, Psal. 93. nu.* 8. Ipse ergo est Deus, *suæ qui nos attrahit virtute gratia Ose. c. 11. nu. 4. Apost. ad Ephes. d c. 3. nu. 20.* Sic autem attracti, *post eum in suorum currimus odorem vnguentorum, Cant. c. p. nu.* 4. non nostra ergo efficacia-

efficacia, & virtute, sed suę beneficę attracti fragrantia gratiæ post eum currimus, & eius accipimus dona ipso ea nobis elargiente; Propterea scriptum est: *Quod Sol iste iustitiæ in altum ascendens post se captiuam duxit captiuitatem, & dona dedit hominibus. Apost. ad Ephes. c. 4. nu. 8.* quia ipse suo præuio motu omnis verè est motus nostri, ac progressionis ipsius principium, & forma, *rectos faciens nostros cursus omnes, & itinera nostra producens in pace. Io. d. c. 15. nu. 5. Eccl. c. 24. nu. 25. Prou. d. c. 4. nu. 27. Apost. p. ad Cor. d. c. 12. nu. 6. & 11. Isa. d. c. 26. nu. 6. Sacrosancta Trid. Syn. Sess. 6. de Iustif. Can. 22.*

Sed aliquis forsan dicet: Diuino ergo si in opere à nobis ipsis in esse nihil ponimus, sed a Deo procedunt omnia, nostram pro libito suo perficiat Deus cooperationem, & salui erimus. Is recta si mente hoc proferat, Diuinam vt veneretur clementiam, & bonitatem ex gratia dignãtem *sancta opera sua in nobis pro bona sua perficere voluntate. Apost. ad Philip. c. 2. n. 13. Luc. c. 12. n. 32.* Optimè loquitur, quia sicut gnomon in plano, vbi est descripta horarij norma, immobiliter persistendo sufficientẽ in ipsa horarij machina Soli dicitur præstare cooperationem, sic & nos in nostræ erga Deum perpetua subiectionis, dilectionis, & seruitutis immobilitate permanentes eius in omnibus prõpti obtemperare volũtati, nostraq; ei exhibentes membra arma iustitiæ, ex vniuersali huiusmodi præcedente benè disposita voluntate diuino superuenienti sufficienter dicimur consensisse operi, & in illud nostra specificè concurrisse, & concurrere voluntate, nisi ei particulari aliquo contradixerimus actu. *Isa. c. 50. nu. 5.* quia licet vnico, ac simplici actu tota substantialiter præstetur, ac exhibeatur volũtas, vna tamen cum sit tantum, & indiuisibilis, ac vastitatis illius extensio nullo termino, vel fine, temporumuè meta circumscribatur, vel cohibeatur, circumscribi, vel cohiberi valeat, nisi alio retractetur actu contrario, ad infinita ideò continuata suaptè natura se extendit tempora. Propterea, semel qui vult, in eadem perpetuò perseuerare, ac perseuerasse dicitur voluntate, eam donec actualiter reuocet, eam verò si non reuocet, & semper voluisse, & semper velle dicitur ab ipso temporum exordio in sempiternum vsq; sicut in simili legitur de sperantibus in Deum: & de recedentibus ab eo. *Isa. c. 36. nu. 4. Ier. c. 2. nu. 20.*

Et similiter ex vniuersali præcedente prompta, benèque disposita exhibitione membrorum nostrorum arma iustitiæ facta Deo eidem diuino dicimur operi sufficientem præstitisse cooperationẽ, nisi membra iam exhibita actu contrario ab eodem retraxerimus, vel retraha-

mus

mus opere diuino. *Apost. ad Rom. cap 6. nu. 13. in fin. & 16. & p. ad Cor. c. 15. nu. 10. in fin. Isa. d. cap. 50. n. 5.* Propheta propterea sic Dominũ deprecans ait: *Splendor D. Dei nostri*, Solis iustitiæ nostræ, *sit supe nos, & opera manuum nostrarum*, suo videlicet sanctissimo motu, *dirigat super nos*, & sic per eum directis *Salui erimus, Psal. 89. nu. 17. & Psal. 77. nu. 4. 8. & 20.* beneficentia propterea diuinæ gratiæ maiorem nobis præstare dicitur virtutem, & efficaciam in nostris correspectiuis operi diuino exoluendis cooperationibus, quam ipsa manus dextera nostra, cuius medio, & efficacia extrinsecas nostras absolutioni mandamus operationes, *Psal. 120. nu. 5.* quia verè *ipse est Deus, qui hæc omnia operatur in nobis pro sua bona voluntate, Isa. d. c. 26. nu. 12. Apost. p. ad Cor. d. c. 12. nu. 6. ad Philip. d. c. 2. nu. 13.* Nos ideò monet, vt eum nostræ velut signaculum virtutis super cor nostrum, & super brachium nostrum geramus, vt eius supernaturali virtute supranaturalia huiusmodi perficere valeamus, quia *sine eo facere nihil possumus Cant. c. 8 nu 6. Io d. c. 15. nu. 5. Mat. c. 12. nu. 30. Luc. c. 11. nu 23.* Si verò talia proferat, diuino vt ab opere nostram tãquam non necessariam excludat cooperationem, peruersè loquitur, quia sicut gnomon si à Solis amoueatur subiectione, à propriaq; constantia, & firmitate huius in totum statim dicti sciaterici machina perit, sic à diuina si nosmet retrahamus subiectionis, dilectionis, & seruitutis firmitate, debitum vel ei denegemus cooperationis concursum ab ipso nosmet statim elongantes Deo à diuini molitione operis in totum cadimus. *Psal. 72. nu. 27. Ier. c 2. nu. 5. Ose. c. 4. nu. 10. Eccl. c. 4 nu. 22. c. 6. nu. 21. & 22. Apost. p. ad Cor. c. 16. nu. 22. Mat. d. c. 12. nu. 30. Luc. d. c. 11. nu. 23.* quia sicut non à gnomone solo sine Sole, nec à Sole solo sine gnomone, sed ab vtroq; simul huiusmodi completur sciaterici opus: sic nec ab homine solo sine Deo, nec a solo Deo sine homine, sed ab vtroq; simul iustitiæ huiusmodi in nobis completur opus: hac propterea reciproca alloquendi forma, reciprocæ tanquam dilectionis, & operationis demonstratiua nota. *Cant. c. 2. nu. 16. c. 6. nu. 2. c. 7. nu* 10. dicitur, *Dilectus meus mihi, & ego illi*, & è contra, *Ego illi, & ille mihi*: vt per eam clarè nobis innotesceret, quod quemadmodum per huiusmodi reciprocam dilectionem, tam in internis mutuò se diligentium effectibus, quam in externis correspondiuis demonstrationibus prefatæ opus iustitiæ ad actum re ipsa deducitur, sic per alterutrius deficientiam ad exitum illa re vera non peruenit, *Amos c. 3. nu. 3. c. 2. nu. 11. c. 5. nu. 14. Ier. c. 17. nu. 14. c. 15. nu. 19. Zach. c. 8. num. 13. & 15. c. 1. nu. 3. Malach. c. 3. nu. 3. 7. 17. & 18. Cant. d. c. 5. nu. 2. 3. & 6. Mat.*

c.4. nu.19.20.21.& 22.c.7. nu. 21. 24.25.26.c.12.nu.50.c.21.nu.28. 29. 30.& 32. Io.c. 15. nu. 4. 5. 10. 13. 16. & 19. c. 14. nu. 21. 23. & 26. & sua P.c. 3. nu. 7. & 18. Dominus propterea noster Iesus Christus dicitur *esse particeps, & est verè omnium timentium Deum, & custodientium mandata eius Psal.* 118. *nu.* 63. quia re vera est ipse, *qui suum in nos immittit timorem, & charitatem, & re ipsa facit, vt cum timeamus, amemus, eius præcepta obseruemus, iudicia custodiamus, & supernaturalibus ab eo in nobis operatis cooperemur operibus, Malach. c.* 2. *nu.* 5. *Apost. ad Rom. c* 5. *nu* 5. *Io. c.14. nu.26. c.15. nu.26. c.16. nu.13. 14. & sui p. c. 4. nu. 19. Ezech. d. c. 36. nu. 27. Isa. c. 26. nu. 12. Ier. c. 15. nu.* 20. Si ergo ipse est, qui absolutioni nostras tradit cooperationes, illarum etiam sit particeps, consequens est, quia, *si sinè ipso à nobismet ipsis ea facere non possumus. Io. d. c. 15. nu. 4. &* 5. per ipsum verò ea facere valemus, & facimus verè, illarum non solum particeps, sed principium, & author sit, consequens est. *Io. c. 10. nu. 28. & 29. c. 4. nu. 14. Apost. ad Eph. c. p. nu. 23. c. 3. nu. 20. Ad Colos. c. p. nu. 16. 17. & 18. c. 2. nu. 9. & 10. c. 3. nu. 11. P. ad Cor. c. 12. nu. 11. c. 13. nu. 3.*

Nos quoq; vice versa operum ipsius ab eo in nobis operatorum, nostra dicimur esse participes cooperatione, & sumus verè, quia; *si Christimet* ea sic in nobis operantis, *participes re vera sumus Apost. ad Heb. c. 3. nu.* 14. cur non etiam operum ipsius ab eo in nobis operatorum participes erimus, *si, qui eum nobis donauit, cum eo simul nobis donauerit omnia? Apost. ad Rom. c. 8. nu.* 32. Ideò, sicut nos tamquam materia nouitatis nostræ in ipso permanentes, si operi illius in nobis operato cooperemur, & si huiusmodi cooperatio nostra sit, quoniã ab agitata egreditur materia, formæ tamen cum omnes sint actus, dicta nostra cooperatio verè dicitur esse sua, & *ipse illius esse particeps d. Psalm.* 118. *nu.* 63.

Sic ipse, tamquam forma nouitatis nostræ in nobis permanens, & si opera cuncta, quæ in nobis operatur, sint propria sua verè, nostra tamen etiam dici possunt ratione vnitatis formati nouitatis nostræ, & nos tãquam mẽbra eius corporis eis cooperari dicimur, & ex ijs commereri, & cooperamur, & cõmeremur verè, quia *vnum spiritu cum ipso sic permanentes sumus, Io. c. 14. nu. 20. c. 15. nu. 4. c. 17. nu. 21. & 22. Apost. p. ad Cor. c. 6. nu.* 17. ità tamen, vt huiusmodi participationis, cooperationis, & meriti sublimitas non nostra, sed Dei sit virtus, & efficacia, vt latius de nouo nostro homine dictum fuit, ad cuius tractatum, vbi opus esset, habeatur relatio.

Neq; prædictis obstant, quæ de Corozain, & Bethsaida à Domino,

Mat.c.11.nu.21.& Luc.c 10.nu.13. dicuntur, quod videlicet, *si ea miracula, & virtutes, quæ in ipsis ab eo factæ fuerant, in Tyro sic, & Sidone factæ fuissent, illæ olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*, quasi miracula, & virtutes Christi effectum, & efficaciam deducendi Tyrios, & Sidonios ad pœnitentiam sumpturæ fuissent ab illorum prompta voluntate ex infallibili Christi præcognita scientia, quod, videlicet, illam actualiter egissent; quia ex his non benè currit huiusmodi consequentia, videlicet ad pœnitentiam agendam necessarius est humanæ voluntatis assensus. Isti pœnitentiam egissent: ergo istorum assensus voluntatis diuinæ gratiæ efficaciam tribuisset eos ad pœnitentiam deducendi, quia non secus est, ac si dicerent: Quod, si Adam de ligno comedisset vitæ, & propter hoc in æternum vixisset, quod eius comestio efficaciam tribuisset ligno vitæ faciendi viuere in æternum, quia efficacia deducens Tyrios, & Sidonios ad suorum pœnitentiam peccatorum non minus a Deo infusa ipsi cohærens extitisset gratiæ, quam efficacia faciendi viuere in æternum à Deo infusa cohærens erat ligno vitæ ab Adam comedendo, quia efficacia est virtus ab ipsa procedens gratia, lignoq; vitæ non secus, ac effectus à sua procedit causa, licet assumentis illam requiratur assensus, *Eccl.c.47.nu.13.Bar.c.3.nu.14.Ezech.c.14.nu.14.& 20.*

Idcircò sicut per causæ communicationem in acceptantem illius transfunditur efficacia, & suum in eo operatur effectum, sic per gratiæ communicationem eius in acceptantem transfunditur efficacia, & suum in eo operatur effectum: non ex propria ergo percipientis virtute, & efficacia id euenit, sed benè ex perceptæ interna virtute gratiæ, *Eccl.c.6.nu.30.& 31. Esd.4.c.6.nu 38. Quia Dei donum est in se ipso perfectum*, & numeris omnibus absolutum, *Iac.d.c.p.nu.17.* quis enim diceret vnquam: Quod sua assumptione antidoto dedisset efficaciam venenosæ expellendæ malignitatis, & non potius ab eo ipse assumpsisset illam? si enim in omnibus naturalibus rebus à Deo infusæ fuerunt spiritus virtutes, vt earum medio nobis participaret illas, *Sap.c.p.nu.7. Eccl.c.16.nu.25.c.39.nu.40.* cur non sic, & multo magis in supernaturalibus, ad quorum participationem nullus nobis potest patere aditus, nisi eius medio gratiæ, ad quam suscipiendam à *nobis ipsis sufficientes non sumus, nisi eius efficacia huiusmodi reddamur? Apost. ad Rom. d.c.8.nu.26. Psal.17.nu.33.& 37.Psal.22.nu.3.Psal.30.nu.16.Psal.84.nu.13.& 14.Psal.120.& 126.in princ.*

Ad hoc autem sufficientes facti, eam suscipimus, ei autem sic susceptæ etiam cooperamur, eius tamen virtute nostram semper præparante coope-

cooperationem, *Apost. ad Heb. c.13. nu.21. ad Philip. dd. c.p. nu.6. c.2. nu 13. 2. ad Cor. c.4. nu.7. Psal.36. nu.5. 6. & 23. Isa. c.4. num.3. & 4. c. 48. nu.17. Ezech. dd. c.11. nu.19. & 20. c.20. nu.43. & 44. c.36. nu.26. 27. 28. 29. & 32. Agg. c.p. nu.24.* Nam a Diuino, verbi gratia, si sanamur verbo non nostra hanc ei tribuimus assumptione efficaciam, & virtutem, sed illam ab eo accipimus, *quoniam hac illius est propria virtus, & efficacia, Sap. c.16. nu.12.* non est illa ergo ex nostræ naturæ, seù natiuitatis fructibus, inter quos nostræ etiam enumerantur liberi voluntatis actus, *Sed ipsum est Dei verbum, quod sanat omnia, Sap. d. c. 16. nu. 26. & 12. Isa. c.55. nu.11.* illud ergo vt sumamus præuentionis gratiæ illius est donum, & virtus, *Act. Apost. c.13. nu.48.* illudq; tandem vt opere compleamus, *illius quoq; est virtutis donum, & gratia, Apost. ad Eph. c.3. nu.20. cum alijs superius allegatis.* Nostræ ergo tela salutis tota ab eius exordio, vsq; ad finem ex ipsa est diuina exordita gratia, *cuius virtus est in salutem omni credenti, Apost. ad Rom. c.p. nu.16. Io. c.p. nu.17. c.15. n.5. Psal.20. nu.3. & 4. Psal.22. nu.6. Psal.83. nu. 12. Psal.84. nu. 14. Psal. 88. nu. 17. 18. & 19.*

Non enim Apostolo 2. *ad Cor. c.12. nu.9.* ad insultus carnis suæ reprimendos à Christo suæ petenti effectum, & efficaciam gratiæ responsum fuit: Tibi tua sufficit acceptatio gratiæ meæ, quia, etsi iam acceptasset eam, propter hoc tamen consuetis non desinebat lacessiri, & infirmari carnis suæ stimulis, sed benè ei respondit Christus: *Mea tibi sufficit gratia, cuius virtus in tua perficitur infirmitate carnis,* nam eius insultibus, quò grauius concutiebatur, ac debilitabatur, interius tunc se magis potentem ad illos reprimendos esse ipso experiebatur facto: non sua ergò is acceptatione gratiæ, gratiæ efficaciam præbebat, sed ipsa eam sibi subministrabat gratia. *Eccl c.6 nu.30. & 31. Sap. c.10. num.12. Psal. 30. nu.4. 5 & 16. Psal.36. nu.23. & 24. Apost. ad Eph. c.6. nu.10. cum alijs superius allegatis.*

Idem propterea *d. c.12. secunda ad Cor. nu.10.* subiungens ait: *Libenter igitur in infirmitatibus meis gloriabor, vt in me inhabitet virtus Christi, qua cum infirmor, tunc potens sum,* huius autem causam reddendo potentiæ superius dixerat: *quia virtus in infirmitate perficitur,* non sua quidem, quia humana nostra quantò magis crescit infirmitas; tantò etiam magis nostra decrescit virtus, & consequenter etiam semper debiliores euadimus, *Psal.30. nu.11. Psal.70. nu. 9.*

At virtus gratiæ Domini nostri Iesu Christi nostra in nobis crescente semper crescit infirmitate, cumulatioraq; ac validiora eius nobis

suppeditat auxilia, quorum efficacia eiusdem tunc in nobis perficiuntur opera gratiæ. *Apost. ad Ephes. c.6. nu.10. Ezech. d.c.36 nu.27.* quia gratia vti res diuina infinitum in se meriti pondus habet: habens autem aliam quoque per semetipsam promeretur gratiam, idcircò scriptum est: *quod gratia pro gratia datur, Io. c.p. nu. 16. habenti propterea gratiam alia superaddetur gratia, & abundabit, Mat. c.13. nu.12. c. 25 nu.29. Mar. c. 4. nu 25. Luc 8. n.18. c.19. nu.26.* non mirum propterea, si huiusmodi qui est, *omnia in illo posse dicatur, Apost. ad Philip. c. 4. nu. 13.* non propter semet ipsum, sed propter illum, in quo est, *& qui operatur in ipso, Isa. d. c. 26. nu. 12.* gratiarum autem datio à Deo cum sit, ordine qui miro omnia disponit, non inconcinnè, sed admirabili sit disposita ordine, consequens est, nostro licet non appareat intellectui: à sacra tamē cum habeamus pagina: quod *ad spei mensuram à Deo nobis virtus, & fortitudo detur, Isa. c.30. nu.15. c.40 nu.31.* consequens est etiam, vt spes nostra sit continens regula, & mensura fortitudinis, ac virtutis nobis a Deo tributæ: sicut autem effracto continente ipsum dilabitur contentum, nostra sic effracta spe virtus, & fortitudo nostra dilabatur, consequens est, Spes autem cum inter hæc duo sit constituta extrema vitiosa defectionis, videlicet, & exuperantiæ, sicut ad extremum vbi pertigerit defectionis spe tanquam effracta sit ipsa quoq; dilapsa fortitudo, cōsequens sit, *Prou. c.24. nu.10.* nam cum illa in ipsa consistat tum gratiæ, tum diuinorum auxiliorum, ac cæterorum supranaturalium bonorum omnium expectatione ab illa omnipotenti manu, à qua ea dispensantur omnia, ea sic, eorumue quidpiam propria qui sibi assumere præsumpserit virtute, & efficacia ob exuperantiæ excessum spei disrumpens limites frangit illam, illa autem sic effracta, ipsius quoque virtus, & fortitudo dilabatur, consequens est. *Eccl. c.6. nu. 2.* sicut B. Petro actu practico euenisse legimus. *Mat. c. 27. nu. 33. Mar. c. 14. nu. 29.* propterea Apost. ad extremorum illorum neutrum esse declinandum nos erudire volens, vbi supra, *Ter à Domino sua petijt auxilia gratia*, vt ex eius multiplicata oratione ob defectionis excessum à sua non excidisse spe manifestaret: *Suam verò propriam confitendo infirmitatem, & Christi magnificando potentiam in se efficaciter operantem*, propriæ omnem a se excludens præsumptionem virtutis, ob exuperantiæ excessum suæ non transcendisse spei limites declarauit, vt his à se exclusis excessibus virtus in se posset inhabitare Christi, quænam enim maior potest inueniri ingratitudo, quam diuina beneficia suæ propriæ attribuere virtuti? quod Antichristi proprium futurum fore legimus. *Isa. c. 10. nu. 13. & 15.* de eius

pro-

propterea nimia à Domino reprehensus præsumptione pristinis omnibus statim deperditis viribus *pusillanimis à voce fugiet arguentis se, Isa.d.c. 10.nu 15.& seq. c.17.nu.13.c.30.nu.31.* è contra verò grati, qui extiterint in tempore necessitatis eorum auctis viribus stabile inuenient firmamentum, *Eccl.c.3.nu.34.Isa.c.40.nu.51.* Neq; obstat, quod ex vna, & eadem in indiuiduo gratia à Domino data prioribus, hi ad actum re suā non perduxerint pœnitentiam, quæ posterioribus si data fuisset ad actum vtiq; perduxissent eam, quasi huiusmodi sicut actus pœnitentiæ exclusio à mera priorum processit, ac pependit recusantium voluntate sic inclusio, & effectus illius in mera posteriorum processisset, & pepēdisset acceptantium voluntate, ac si vni dumtaxat humanæ voluntati omnimodus operationis gratiæ esset tribuendus effectus, & efficacia, quia propositio prima in priorum concepta personis, etsi in semetipsa per se sit absolutè vera, eo quod facere malum à nostra absolutè pendeat voluntate, illud propterea voluntariè agentes demeremur, demerentes nostra quoque propter illud damnamur culpa, *quia Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, sed illam nos acquirimus in operibus manuum nostrarum*, ita vt irrefragrabiliter verum maneat, quod *nostra à nobis merè pendeat perditio, & damnatio, nobisq; nostrum à nobismet ipsis fabricemus interitum, quoniam à Dei natura exterum est eum punire, qui condemnari non debet, Sap.c p.nu.12.c.12.nu.13. Iob c.34. nu.12. Ose.c.13.n.9.Prou.c.11.nu.19.Psal.9.nu.16.Apost.ad Rom.c.10.n 21.*

Bonum verò præcipuè supranaturale, & meritorium licet & nos ex parte nostra in illud nostra quoq; concurramus voluntate, & externa cooperatione non à nobis tamen, *Sed à Deo eius tanquam proprio, ac naturali principio merè procedit, & pendet, Isa.c.61.nu.10.& 11.*

Dominus propterea noster Iesus Christus, *Mat.c.19.nu.17.& Luc.c.18.nu.19.* se interroganti quid boni faciendo vitam æternam possideret, respondit: *Solus Deus bonus est*, quasi diceret, si ita: solus etiam est boni auctor, & operator, posteà subiungens ait: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, quia eorum custoditio, prout decet, facta, *Isa.c 58.nu.4.& 5.Mat.c.6.nu.p.& seq. Apost.p.ad Tim.c.p.nu.5 .certa, & manifesta est index mutuæ Dei nobiscum, & nostræ cum eo permansionis, Io p.c.3.nu.24.c.4.nu.13. qua vnum cum eo facti, Io.c.17.nu.22.& 23.Apost.P.ad Cor.c.6.nu.17.* bona si agamus, vel potius eius opera nobis educantur, superbire non debemus, quia illorum processio, & operatio non nostra, sed Dei est virtus in nobis habitantis, & operantis illa, *Apost propterea 2. ad Cor.c.4.nu.7.& ad Eph.d.c.3.nu.20.* ait: *Habemus thesaurum*

illum

istum in vasis fictilibus nostris, ita vt operationis bonorum *sublimitas non ex nobis sit, sed Dei sit virtus, superabundanter quam petimus, & intelligimus in nobis operantis illa:* huiusmodi ergo opera ab ipso spiritu Dei interno nostro gratuito tanquam supranaturali agendi principio procedunt: sic procedentia in inuisibili eius lumine nostro sigillatim interius demonstrata spiritui, ac insensibili eius suppeditata virtute noster eius adiutus auxilio paulatim reassumens spiritus ad illius imitationem ea sensibiliter edit, sic edita præter lumen fidei ab vnoquoq; per se primò, & principaliter ipso opere completa fuisse videtur. Nam cum gratuitum hoc supranaturale agendi principium nostro, vt diximus, intrinsecus agglutinatum habeamus spiritui, & ab eo quæ in nos prouenjunt non sensibilia, sed merè spiritualia sint, nos verò huic carni, ac sæculo nequã immersi simus, & plerumq; a mundanis abstracti cogitationibus, & curis, hinc est, quod ob celerem, & ferè imperceptibilem actum illum elargitionis illius dationem, & nostram connectentem receptionem ab illius prouenientem gratiæ efficacia, *Eccl. c.* 11. *nu.* 24. à quo etiam hæc proueniant, & qualia sint, non animaduertamus: non animaduertentes neq; etiam prout ea sunt verè, distinguamus: non distinguentes diuinas illius putamus inspirationes nostras esse capitis cogitationes: gratiarum illius oblationes consilij nostri adinuentiones: eius auxilia nostræ deliberationes voluntatis, de nostris ideò incipimus præsumere viribus: præsumentes autem in maximas nosmet inuoluimus fallacias, à quibus posteà extricari non possumus, nisi eius medio gratiæ, & beneficentiæ calore, à quo vt non decipiamur, nos sic *Regius Proph. psal.* 36. *nu.* 3. & 6. & *Isa. c.* 58. *nu.* 10. & 11. erudientes aiunt: *Spera in Deo,* vt, *videlicet, Dei in te inhabitet virtus, & fac bonitatem, in hac vt mutua perseueres permansione, Io. c.* 15. *nu.* 4. & 5. *c.* 14. *nu.* 23. & *ipse educet quasi lumen iustitiam tuam, & tenebræ tuæ erunt tanquam meridies, quoniam ipse implebit splendoribus animam tuam*, quia ipse est spiritus Dei, qui in nobis nostrum tanquam supranaturale agendi existens principium huiusmodi supranaturalia in nobis operatur opera cuncta, *Psal.* 142. *nu.* 11. *Isa. c.* 61. *nu.* 11. *c.* 26. *nu.* 12. *Bar. c.* 3. *nu.* 14. *c.* 5. *nu.* 9. *Apost. p. ad Cor. d. c.* 12. *nu.* 6. & 11. nos sic vice versa in ipso existentes in operum suorum cooperationem eius cõcurrimus efficacia, & virtute, sine qua ad actum eam perducere non valeremus: propterea *Apost. ad Rom. c.* 8. *num.* 14. in hac materia concludens ait: *Quod filij Dei hi sunt, qui spiritu Dei aguntur,* ad eorum videlicet cooperationem diuinis eius operibus præstandam ab eo sic, vt supra, in eis operatis: idcircò, *Spiritus Dei* sua in nobis

ope-

operando opera, *testimonium dicitur spiritui nostro reddere, quoniam in nobis est*, quia, *in quibus est, hi filij Dei sunt verè, Apost. ad Rom. d.c.8.nu.8. 16. & 9. Io. 1.d.c.3.nu.24.c.4.nu.13.* ex quo hæ veraciter currunt consequentiæ: *Qui bona facit ex Deo, & cum Deo est: Qui verò mala facit ex Deo, & cum Deo non est. Io. c.8.nu.44. & eius p.c.2.nu.29.c.3.nu.6.7.8. 9.10. & 12. & eius 3. Gaio. nu.11.* quæ propositiones ex principiorum suorum natura in ipsa ita firmiter sunt radicatæ veritate, vt aliter se habeant, impossibile sit, vt suo loco dicetur: ideò *arbor bona malos non potest facere fructus, & mala non bonos. Mat.c.7.nu.18.c.12.nu.33. Luc.c.6. nu.43. & 44.* Hęc autem ad rem nostram deducentes dicimus: Quod si male in nobis agendi principium nostra est absoluta voluntas, quoniam illud facere ab ea liberè pendet, & in eius libera residet arbitrij libertate. *Boni verò agendi principium diuina est ipsa voluntas, à qua procedit, & cuius operatio secundum illius est placitum semper. Gen. c.1.num.31. Psal.110.nu.2. Eccles.c.3.nu.11. Eccl.c.39.nu.20.& 39. Apost.ad Eph.c p. nu.10.idq; etiam in nobis ipsis. Ad eosdem c.3.nu.20.ad Philip.c.2.nu.13. ad Heb.c.13.nu.21. Io.c.15.nu.5. Ezech.d.c.36.nu.27. & alijs præcitatis:* illatio propterea, quam educere conātur ex malo à Corozain, & Bethsaida facto ad bonum à Tyro, & Sidone faciendum, tanquam deducta à medijs ortum habētibus à diuersis principijs ad suum fauorem nihil concludant, consequens est, quia ex diuersis non benè infertur, ideò, sicut si malorum à nobis factorum effectum, & efficaciam diuinæ tribueremus voluntati impij, & blasphemi essemus, diuinæ sic effectum, & efficaciam gratiæ, à diuina quæ procedunt, & pendent voluntate, nostræ si tribueremus voluntati, non minus impij, & blasphemi essemus, quia supernaturalia vsurpantes beneficia diuinę detraheremus liberalitati. Verum, hanc vt funditus diluamus obiectionem præmittendum est, quod sicut in statu iustitiæ plures, ac ferè infiniti dantur gradus gratiæ, luminis, constantiæ, & firmitatis, *Eccl.c.18.nu.22. Isa.c.48. nu.18. Apoc.c.22.nu.11. Iac. c.p.nu.17.* à quibus quo magis suffulti sumus, tantò etiam maiori cum difficultate ab ijs remouemur, remoueri, vel excidere possumus, non quod aliqua externa vi rapti ad id inuiti compellamur, sed quia per successiua illorum incrementa semper magis in ipso confirmemur statu iustitiæ, firmioresq; in Domino, ac stabiliores illorum euadimus virtute, & efficacia. *Eccl.c.7.nu.39. Mat.c.7. nu 24. & 27. Mar.c.9.nu.38. Luc.c.6.n.47. & 48. Apost.p.ad Cor.c.12. nu. 3. Eccl.c.26. nu.24.* quia *proficientes in via Domini imus de virtute in virtutem, Psal.83.nu.6.7. & 8. in hac autem abundanti iustitia maxima*

inest

insit virtus, & fortitudo; nam per successiua, & continuata illius incrementa peruenitur tandem ad ipsius iustitiæ firmamentum, quod in ipsa consistit perseuerantia, quæ vsq; ad finem vltimum pertingit humanæ vitæ nostræ, nam iustitia iustitiam fouet, fulcit, conseruat, & auget, cuius vsq; ad finem colligata connexio ista est maxima perseuerantiæ virtus, vt suo loco dicetur. *Prou. c.12. nu.12. c.15. nu.5. Isa. d. c.48. nu. 18. Eccl. c.4. nu.20. c.7. nu.39. c. 30. nu.23. Pet. 2. c. p. nu 10. Io. p. c.3. nu.9. c.5. nu.17. Psal 97. nu.19. Mat. d. c.7. nu.24.25.26. & 27. c.24. nu.13. Mar. c 13. nu.13. Luc c.6. nu.48.*

Sic & in ipso statu iniustitiæ ferè infiniti sunt gradus tenebrarum, caliginis, & peruicaciæ. *Iob c.18. nu.5. & seq. Ier. c.5. nu.6. Ezech c.16. nu. 51. & 52.* per quorum successiua incrementa in deterius semper magis prolabimur, in ijsq; semper magis induramur, ac peruicaciores euadimus, longiusq; ab ipso elongamur Deo. *Mat. c.12. nu.45. Luc. c 11 nu.26. Io c.5 nu.14. Isa. c.59. nu.2. Ier. d. c.5. nu.3. & 5. c.30. nu.14 & 15. Amos c.5 nu.12. Apost. ad Heb. c.3. nu.13.* quia *ab ipsa assiduitate fit habitus peccandi. Prou. c.22 nu.6. Eccl. c.5. nu.5. Isa. c.5 nu.18. Psal.72. nu.6. & 7. habitus verò in naturam transit. Prou. d. c.22. nu.8. Iob c.20. n 11.* in eam translatus vt valeat mutari, *diuinæ est actus potentiæ. Prou. c.22. nu. 29. Ier. d. c. 5 nu.3. c.13. nu.23.* sicut ergo, in puteum qui se profundius demergit, ad auras vt se reuocet, ascensum sibi duriorem reddit: intricatioriq; qui se inuoluit labyrintho, ab eo se difficilius exoluit: sic qui in dies magis per abruptiora se deijcit scelerũ præcipitia, in densioresq; errorum se inuoluit tenebras, ad rectam vt veritatis semitam reuertatur, lucisq; recuperet claritatem, laboriosius sibi semper cumulat iter, quia scelera, tenebræq; inuicem se complicant, protegũt, conseruant, & augent. *Psal.37. nu.11. Iob c.3. nu.23. c.11. nu.22. c.38. nu.15 c.40. nu.17. Prou. c.4. nu.19. c.20. nu.20. c.24. nu.20. Eccl. c.11. nu 16. Sap. c.2. nu.21. c.5 nu.6. Ier. c.23. nu.12. Amos d. c.5. nu.12. Isa. c.57. nu.20. c.59. nu.10. c.6. nu.9. Luc. c.19. nu.42. & 44.* Corozain ergò, & Bethsaida, si Tyro, & Sidone grauiori erant sauciæ iniquitatis vulnere densiori obcæcatæ errorum caligine duriori peruicacia in sua obfirmatæ nequitia, remotiori ingratitudinis recessione à Deo abalienatæ, ad constituendum consequenter gratiæ gradum, qui ab eorum grauiori sufficiens esset eas subleuare infirmitate, ei tanto plus adiungeretur virtutis, & efficaciæ, quanto plus comparatiuè earum erat maior excessus infirmitatis ea, qua ipsi detinebantur Tyrij, & Sidonij, non mirum propterea videri debet, si vna, & eadem gratia respectu magis peccantium sit tantummodo sufficiens, respectu

verò

verò minus peccantiũ efficax, nam & minus peccans, etsi dici nequeat, quod & ipse peccator non sit, *in comparationem tamen magis peccantis se ipsum iustificasse dicitur, Ier. c. 3. nu. 11. Ezech. c. 16. nu. 52.* portio ergo illa gratiæ, quæ sufficiens est sanare magis peccantem, erit efficax sanare minus peccantem, quia is & in illius comparationem iustificatus dicitur: nam & in profanis vnum, & idem rei pondus modò leue, modò onerosum dicitur ad alias comparatiuè res grauioris, vel leuioris ponderis, vt in illo *Ouid. Met. 1.*

Imminet his aer; qui quanto est pondere terræ
Pondere aquæ leuior, tanto est onerosior igne.

Si ergo Tyriorum, & Sidoniorum conuersio subsecuta fuisset, non vtiq; ab eorum pura processisset voluntate, sed benè ab ipsa efficacitate gratiæ. Quod suppositа verò superius à nobis proposita re ipsa sint vera, patet, & primò, quod Tyrij, & Sidonij minori Corozain, & Bethsaida, grauarentur scelerum pondere, & culpa *ex iisdem præallegatis deducitur textibus, Mat. c. 11. nu. 22. Luc. c. 10. nu. 14.* Nam si mitius, vt ibi dicitur, cum illis agendum erit in die iudicij, *& iudicium fieri debet in pondere, & iustitia in mensura, Isa. c. 28. nu. 17.* minus quoque peccauerint, consequens est, *Luc. c. 20. nu. 47. in fin.* Quod autem maior fuerit gratia subministrata á Domino Corozain, & Bethsaidæ, ipsi quam Tyro, & Sidoni, ex iisdem pariter textibus manifestè apparet: dum ibi dicitur: Quod si plurimæ eæ, quæ in ipsis factæ fuerant virtutes, in Tyro, & Sidone factæ fuissent in cinere olim, & cilicio pœnitentiam egissent, quod & alia irrefragabili comprobatur ratione, quia Tyrij, & Sidoni Christũ personaliter non viderant, eius nec viuam vocem audierant, vt fecerant habitatores Corozain, & Bethsaidæ: *Christi autem aspectus, & viuus sermo cum, non qualis alterius est simplicis prædicantis, sed suprema esset cum auctoritate, & efficacia à diuina illius procedente personæ maiestate, internaq; diuinitatis virtute,* de eo sic scriptura, *Mat. c. 7. nu. 29. Mar. c. 1. nu. 22. Luc. c. 4. nu. 32.* dicente: *Stupebant enim super doctrina eius, quia erat in potestate sermo eius, docebat enim quasi potestatem habens, non sicut scribæ eorum, & Pharisæi.* In aliorum propterea comparationem prophetarum de se dicebat: *Ecce plus, quam Ionas: Ecce plus, quam Salomon,* quia non simplex homo, sed homo, & Deus simul erat, *Mat. c. 12. nu. 42. & 43. Luc. c. 11. nu. 31. & 32. Io. c. 8. nu. 58. c. 16. num. 15.* eius ergo diuina præsentia, & viuus sermo ipsi dans efficaciam auditui conuersionis illorum efficax causa fuisset, non autem eorum pura

voluntas: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ, & spiritus, Io. c. 2. nu. 15. 16. 18. 19. c. 3. nu. 34. c. 6. nu. 64. Luc. c. 6. n. 19. Apost. ad Heb. c. 4. nu. 12.* quemadmodum confitentes testificati sunt Samaritani mulieri eorum conciui eis fidem facienti Iesum esse Christum, dicentes: *Iam non propter loquellam tuam credimus, ipsi enim eum audiuimus*, audientes autem in eius efficacia sermonis, *scimus quia hic est verè Saluator Mundi, Io. c. 4. nu. 42.* Diuini ergo efficacia verbi ab illo sanctissimo prodeuntis ore Christi eam, qua Tyrij, & Sidonij detinebantur, expugnasset duritiam, & ad suæ eos suauiter disposuisset acceptationē gratiæ, *Sap. c. 8. nu. 1. c. 12. nu. p. Iob. c. 36. nu. 10.* Quod autem ab eadem præsentia, & viua voce Christi habitatores Corozain, & Bethsaidæ simili non fuerint ratione ad pœnitentiam actualiter perducti vltra iam dicta plures possent adduci causæ, sed duabus pro nunc contenti erimus, eo quod ad dictam soluendam obiectionem satis esse videantur, quarum altera ex præallegato manifestè colligitur tex. *Mat. c. 11. nu. 16.* Vbi Dominus indomitam perspiciens Corozain, & Bethsaidæ reluctantiam suæ aduersus abundantiam gratiæ eos hac placida redarguens parabola ait: *Cui similem æstimabo generationem istam?* & interrogationi suæ ad nostram respondens eruditionem ait: *Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis*, quod de ijs dicitur, qui nullo se erudiri patiuntur disciplinæ genere, eo quod illud omne despiciant simul cum correptione odientes corr reptorem metipsum *Sine fide autem cum sit impossibile placere Deo. Mar. c. 16. nu. 16. Io. c. 8. nu. 24. Apost. ad Heb. c. 11. nu. 6. fidesq; ex æterno Dei decreto, ex Domini nostri Iesu Christi oriatur verbo, eiusq; confirmetur miraculis. Deut. c. 18. nu. 18. & 19. Apost. ad Rom. c. 10. num. 17. Io. c. 9. nu. 38.* hi consequenter eius verba & audire, & miracula videre contemnentes, eisque credere recusantes, Dei velut extra disciplinam positi ad iustificationem huiusmodi obsistente obice peruenirent, impossibile erat, quia nullus est surdior audire nolente: nullus cæcior videre nolente, quorum sensuum portas eius verbis, & miraculis nō occluderent, necesse erat, *Isa. c. 6. nu. 10. c. 42. nu. 19. & 20. Ier. c. 36. n. 23. & 25. Ezech. c. 3. nu. 7. Prou. c. 13. nu. p. c. 29. nu. 1. Mat. c. 13. nu. 15. Io. c. 8. nu. 24. & 47. c. 10. nu. 27. c. 12. nu. 39. Mar. c. 16. nu. 16. Apost. ad Heb. c. 4. nu. 2.* Diuina præterea cum contemnerent, vt ex eodem, *Mat. c. 11. nu. 18. & 19.* manifestè patet, dum appellarent, *B. Ioannem Baptistam dæmoniacum, Dominum nostrum voracem, vini potatorem, publicanorum, &*

dec-

peccatorum amicum, ea autem qui contemnunt diuino se expolient timore, quo qui expoliati sunt, iustificari non possunt. *Eccl. c. p. n. 28. c. 11. nu. 18. c. 16. nu. 9. & 10. c. 19. nu. 5. & 6. Iob. c. 41. nu. 24. & 3. Isa. c. 57. nu. 4. Sap. c. 12. nu.* 10. iustificari autem non valentibus quid vlterius iam reliquum erat, quam, quod de ijs actum esset, pronūciaretur, propterea dixit: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, &c.* Altera huic similis potest esse ratio, quia hi forsan sua nimia præsumptione ipsa diuinæ diuersificabant principia iustitiæ, vt & reliquorum consueuerant facere plerique Hebræorum, nam cum ea, qua iustificamur, ipsa sit ex fide iustitia, *quæ ex Deo est, Apost. ad Philip. c. 3. nu 9. ad Rom. c. 3. nu. 26.* quæ ex promissione in fide Iesu Christi finis ipsius existentis legis ad iustitiam, *ipsis datur credentibus, Apost. ad Gal. c. 3. nu. 22. ad Rom. c. 10. nu. 4. c. 4. num. 13. & 14. ipsi verò hanc ignorantes, & suam statuere quærentes iustitiæ Dei non remanserunt subiecti, ad Rom. d. c. 10. nu. 3. propter hoc hi sectando legem iustitiæ in iustitia præfatam non peruenerunt legem, quia non ex fide, sed quasi ex operibus, ei autem, qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, credenti autem in eum, qui iustificat impium, eius fides reputatur ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei, ad quam gentes, quæ iustitiam non sectabantur, peruenerunt; quia hanc, quæ ex fide est, susceperunt iustitiam, quam illi reprobarunt, vt gloriam in se haberent. Apost. ad Rom. c. 9. nu. 30. 31. & 32. c. 3. nu. 27. c. 4. nu. 2. 4. 5. 13. & 14. Isa. 43. nu. 25. & 26. Ier. c. 7. n. 9. 10. Ezech. c. 36. n. 25 Malach. c. 3. n. 14. & 15.*

Quam veritatem volens eis in mysterio demonstrare Deus, eorum Ecclesiam *oliuam, Ieremiæ c. 11. nu. 16. appellauit vberem; pulchram, & fructiferam*, quoniam ipse, eam qui ædificabat, sua virtute, dono, fecunditate, & gratia in huiusmodi eam vertebat iustitiæ vbertatem, pulchritudinem, & fecunditatem. Ipsi verò hanc Domini audientes vocem huiusmodi de se præexcellentias proferentem à naturali earum eas abstrahentes principio suæ propriæ eas ascripserunt virtuti, & efficaciæ: ascribentes autem *ipsi offenderunt verbo veritatis Sap. c.* 10. *nu. p. & 2. & per totum c. 11. nu. 2. c. 16. nu. 12. & 26. Pet. p. c. 2. nu.* 8. propter quam offensionem ab ipso velut exordio diuinæ huiusmodi prolatæ vocis *in eam, tanquam ignis, eius exarsit ira, combustaq; extiterunt frutecta eius* ita, vt præclarum huiusmodi amplius nō posset reddere fructū, quia *nulla sine veritate fructifera, & meritoria potest esse iustitia. Isa. c. 64: nu. 6 Luc. c. 17. nu. 10. c. 11. nu. 23. Mat. c. 12. nu. 30. Io. c. 15. nu. 4. & 5. Sap. c. 7. nu. 28. c. 9. nu. 19. Bar. c. 4. nu. 13.* vt plenius suo loco demonstrabitur. Si eorū ergo re vera ex Deo erat iustitia, qua ita præexcellen-

ter operabantur. *Deut.c. 8. nu. 18. Isa. c. 26. nu. 12. c. 54. nu. 17. Ezech. d. c. 36. nu. 27.* eam propriæ suæ ascribentes virtuti ab ipsa abscindebant veritate: abscindentes autem eam suo sterilem, & infructuosam reddebant vitio, vt facere videntur hi, diuinæ qui sibi ascribunt efficaciam gratiæ. Nam, si Dominus *Ezech. d. c. 36. nu. 27.* nobis affirmando promittit, quod ipse re efficiet, vt in præceptis eius ambulemus, iudicia eius custodiamus, & operemur: huiusmodi quomodo verborum posset salua manere veritas, quæ immutabilis est, *Io. c. 17. nu. 17. Num. c. 28. num. 19.* si essemus nos, nostra qui voluntate diuino eius daremus operi efficaciam facto? Et quomodo bonorum operum nostrorum esset ipse operator omnium, *Isa. d. c. 26. nu. 12. Bar. c. 5. nu. 9. Apost. p. ad Cor. d. c. 12. num. 6. & 11.* si illorum implementi efficacia à nostra penitus penderet voluntate? & è conuerso, si in ipso diuini operis implemento nostra non prout agens, sed prout dumtaxat patiens est, debet inueniri voluntas, illam videlicet eius subijciendo voluntati, & sustinendo, vt ea, quæ sibi sunt placita, in nobis operetur, *Isa. d. c. 50. nu. 5. & c. 58. nu. 13. Io. p. c. 5. nu. 13.* quomodo operi eius diuinæ gratiæ nostra efficaciam posSemus tribuere voluntate? etsi demum tanquam cæcos per suæ vestigia gratiæ in viam, quam nescimus, nos rectè ducit, & per semitas, quas ignoramus, tutò ambulare facit. *Isa. c. 42. num. 16. Ier. c. 10. nu. 23.* quam, quæso, directioni deducentium se sua possunt cæci efficaciam tribuere voluntate, si semitam, quam calcant, nesciunt? quò solident pedes non vident? per quę transire debeant omninò ignorant? confiteamur ergò, necesse est, quod *ipse est Deus, qui rectos facit cursus nostros, & itinera nostra producit in pace, d. Psal. 84. nu. 14. & Prou. d. c. 4. nu 27. Ap. ad Phil. c. 3. nu. 11. & 12.* Sua enim supernaturali placoris dulcedine ab eius procedente voluntatis bonitate, *Eccl. c. 39. nu. 23. nostram suauiter disponit voluntatem, & facit, vt illa in adimplementum operis suæ diuinæ gratiæ per ipsum in nobis absoluendum libens concurrat, Eccl. c. 33. nu. 14. Sap. c. 8. nu. p. & 6. c. 9. nu. 11. & 12. c. 10. num. 10. Psal. 118. nu. 35. 36. & 88.* suaq; virtute, & efficacia supernaturali imbecilles nostras ita subleuat vires, & facit, vt in eius diuini operis implementum, dum ab eo in nobis perficitur, voluntaria nostra & nos concurramus cooperatione, *d. Psal. 84. num. 13.* quia benigna elargitionis illius oblatio nobis porrecta suorum in nobis operatur receptionem donorum, quorum in nos secuta translatio nostram ita virtute roborat, iucũditateq; replet animã, *vt sancto statim accẽdatur desiderio, & cupiat non solũ seruire Maiestati suæ, sed & ab hoc terreno dissolui carcere, & esse cum illo,*

Psal.

*Psal.*83.*nu.*11.*Psal.*88.*nu.*16.17.& 18. *Psal.*138.*nu.*24. *Psal.*141.*nu.*8. *Apost.ad Philip.c.p.nu.*20.21.22.& 23.quæ duæ assertiones adamussim ab Apost. probantur *Ad eosdem Philip.c.2.nu.*13. dum ait: *Quod ipse est Deus, qui in nobis operatur velle, & perficere pro bona sua voluntate, quia in nobis verè omnia secundum suum adimplet beneplacitum. Ad Eph.c.p.nu.*23. propterea scriptum est: *Quod hominem si incluserit, nemo erit, ei qui aperiat: ei si aperuerit, nemo erit eum, qui claudat. Iob c.12.nu.*14. *Isa.c.*22.*nu.* 22. *Apoc.c.*3. *nu.*7. *quia omnia in omnibus operatur. Apost. p. ad Cor. c.*12. *nu.*11 *Isa.c.*26.*nu.*12. quod qualiter salua diuini, & humani arbitrij libertate fiat, fieriq; valeat, cum de prædestinatione fiet sermo, demonstrabitur. Internam ideò si rei huius veritatem vlla absque animi passione attingere voluerimus, re ipsa inueniemus, quod noster in diuinam gratiam assensus voluntatis re non requiritur ad ipsam adiuuandam, vel perficiendam in nobis translatæ gratiæ operationem, *quia Deus in suis in nobis ad actum, & finem perducendis operibus diuinis nostro non indiget auxilio. Iob c.* 13. *nu.* 7. & 10. *c.* 26. *nu.* 2. & 3. *Isa. c.* 4. *nu.* 13. 14. & 28. *Apost. ad Rom. c.* 11. *nu.* 34. *P. ad Cor. c.* 2. *nu.* 16. sed benè ad ipsum ille requiritur in nobis translatæ gratiæ qualificandum opus, vt videlicet, quemadmodum ex parte Dei non coactum, sed liberum, & voluntarium est, ita etiam ex parte nostra non coactum, sed liberum & voluntarium esset, ac esse manifestè constaret, ne in inuitos eius collata dicerentur esse dona, quia hoc & gratiæ illius, & libertati arbitrij nostri contrarium esset, quas destruere eius diuinæ non conueniret liberalitati, atq; magnitudini, vt superius demonstratum fuit: *Propheta* propterea *Psal.* 118. *nu.*108. in spiritu hoc contemplans ait: *Voluntaria fac, Domine, beneplacita tua:* hoc est fac, Domine, vt nostra voluntas in omne tuum semper concurrat libenter beneplacitum, vt hoc à donorum tuorum collatione amoto ex parte nostra impedimēto, in eorum videlicet acceptationem prius liberè consentiendi, quam in nos illa transferas, ad omne sic beneplacitum tuum illa nobis conferre valeas, quia, vt dictū est, ipse est verè, *qui cor, & voluntatem nostram inclinat ad sua libenter suscipienda dona, d. Psal* 118. *nu.*36. *Apost ad Philip. d.c.2.nu.*13. *ad Colos.c.p.n.*9. *& qui sua virtute, & beneficentia gratia eiusdem inceptum perficit opus gratiæ, Ad dictos Philip. c.p. nu.*6. *d. c.* 2. *nu.* 13. *P. ad Cor. c.* 12. *nu.* 11. ne quisquam propterea putaret, quod hoc vnquā de se præsumpsisset. *P. ad Cor. c.* 15. *nu.* 10. reuerenter, & cum veritate dixit: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, hęc videlicet omnia in me operata est. Nam & B. Virgo D.N.I. Christi Mater, etsi suo voluntatis

assen-

assensù in diuini concurrerit Incarnationem Verbi, dicens: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*: non tamen fuit ipsa, quæ actui Incarnationis in vtero suo perficiendæ sua complementum dederit voluntate, sed fuit ipse spiritus Dei, qui sua hoc virtute perfecit, quia diuina opera à solo Deo compleri possunt, *Luc. c. p. nu. 35. & 37.* sicut & hoc Christiana veritate confitemur dicentes: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto*. Neq; huius tollerentur instantiæ vires, si responderent; Quod hoc esset singulare in actu Incarnationis, quia vniuersali affirmatiua B. Elisabeth Sanctissimæ Virgini, *Luc. d. c. 1. num. 45.* sic prophetando dixit: *Quoniam ea, quæ tibi dicta sunt, perficientur à Domino*: Cui Sanctissima Virgo sub eodem, *Luc. c. 1. nu. 49.* eodem spiritu prophetico vniuersali pariter affirmatiua magnificando opera Domini in se operata dixit: *Quia fecit mihi magna qui potens est*. Translatæ enim gratiæ effectus diuinum cum sit opus à nemine complementum, & efficaciam recipere poterit, quam à solo Deo, non est enim diuina gratia ad instar sacculi pecuniæ, quam in disco quis proijciens alteri dicat: Illam, si vis, accipe, quia nec etiam in merè sæcularibus effectus, & efficacia gratiæ, ab ipsa pendet acceptantis voluntate: proponamus enim, quod Princeps alicui motu proprio liberam de eius excarceratione, vel relaxatione à triremi gratiam faciat: gratiatus ille ex eo, quod in suam millies consentiat liberationem, propter hoc tamen suam ad actum non deducit gratiam, vt re à carcere, vel triremi exemptus sit, sed alia ei sunt necessaria dictæ gratiæ adminicula antequam inde re egredi valeat, cur non ita, & multò magis in ipsis supernaturalibus, quorum effectus, & efficacia supra omnem nostram sunt constituta naturæ vim, & potestatem, si enim eorum, in natura quæ sunt, quod minimum est, non possumus, quomodo supernaturalia poterimus? *Luc. c. 12. nu. 25. & 26.* Nonne Saulus suo assensu voluntatis in diuinam consensit gratiam, quam ei Deus daturus erat, dicens: *Domine, quid me vis facere?* surgens tamen, ductusq; in Damascum ibi stetit tribus diebus nihil videns, neq; manducans, neque bibens: post hæc orans in spiritu vidit, in se quid operaturus esset Deus, & illius seruum Ananiam ad se venire pauentem, qui a Domino animatus ad se accedens sibi dixit: *Ad te me misit Dominus, qui tibi apparuit in via, vt videas, & implearis Spiritu Sancto*; *Act. Apost. d. c. 9. nu. 6. 8. 9. vsq; ad 18.* duarum quarum rerum actus ipse erat effectus, & efficacia gratiæ illius, quam Deus ei daturus erat: si ita: affirmare quis auderet vnquam, quod eiusmodi non à diuina, sed à Sauli fuerint ad actum perducta voluntate

lun-

luntate? Nonne & discipulis duobus euntibus in Emmaus, *Luc. c. 24. nu. 7. 8. 9. 10. 15. & seq. vsq; ad 33.* a Domino fuit oblata gratia intelligendi scripturarũ sensũ, de eius qui loquebantur resurrectione, quam & ipse eis ante suã prędixerat passionẽ, *Mat. c. 16. nu. 21. Mar. c. 9. n. 30. Luc. c. 9. n. 22.* & Angelus Domini post eius cõfirmauerat resurrectionẽ: & mulieres Sanctæ prædicabant, & ipse ore proprio eis testificabatur suam attestationem cum alijs conferens prophetarum scripturis, quas diligentissima enarratione, & exactissima interprætatione eis sigillatim exponebat ita, vt ad liquidissimam sensus illarum explanationem, & absolutissimam intellectus elucidationem nequidquam deficeret, adeò vt eos arguere coactus fuerit de eorum stulta, & tarda intellectus appręhensione ad huiusmodi eis tam liquidè manifestata non capessenda. Verum & si eius discipuli essent, eorumq; interna ardenti feruerct desiderio voluntas huiusmodi acceptandæ gratiæ sibi ipsis à Domino tam amanter, sollicitè, ac euidenter oblatæ, ad actum tamen illa non peruenit vnquam, nisi in ipsa fractione panis, quando Domino placuit mentis eorum adaperire oculos ad ea intelligenda, ad hoc vt manifestè cognosceremus: quod efficacia gratiæ non à nostra voluntate: non a diligenti instituentium persuasione, nõ ab irrefragabili rationum demonstratione, sed à puro Dei beneplacito pendet, quia, Dei quæ sunt, à nullo alio, quam ab ipso possunt perfici Deo, vt hoc cognoscentes nostra conquiesceret humana præsumptio, omnis nostri quæ est causa præcipitij, *Eccl. c. 31. nu. 24. c. 37. nu. 3.* conquiescente autem humiles semper, prompti, & parati essemus ad omne eius beneplacitum illius accipere dona, quia, vt præmisimus, sicut & illa offerre, & eo tempore, loco, & occasione, quibus sibi magis placet, ab eo liberè pendet: sic & illa ad actum perducere, & eo tempore, loco, & occasione, quibus sibi magis id facere placet, ab eo quoq; liberè pendet. *Apost. 2. ad Cor. d. c. 6. nu. 2. Isa. d. c. 49. nu. 8. Eccl. c. 39. nu. 26. 39. & 40. Luc. c. p. nu. 20.* quia *omnia semper agit secundum beneplacitum voluntatis suæ Ap. ad Eph. c. p. nu. 11.* Confiteamur igitur oportet, quod noster assensus voluntatis gratiam dumtaxat qualificet, vtrinq; vt voluntaria fiat, ad hoc vt ita facta à Deo liberè ad omne eius beneplacitum ad actum deducatur, & omnimodæ absolutionis illius accipiat complementum, cuius rei veritas ex multis deducitur scripturarum locis, in quibus re ipsa attingimus, quod vtriusq; assensus voluntatis Dei videlicet, & hominis ipsum gratiæ præcedit effectum, vt in exemplis nobis repręsentatis. *Mat. c. 8. nu. 2. & 3. c. 20. nu. 32. Mar. c. p. nu. 41. c. 8. nu. 25. c. 10. nu. 51. Luc. c. 5. nu. 12. &*

13.*c.*18.*nu.*41.*&*42. *Io.c.*9.*nu.*7.*& alijs in locis*. ipſum igitur ſi effectum præcedit gratiæ, illum vtiq; non perficiat, ſed qualificet tantum, conſequens eſt. Propterea *Apoc. c.*3.*nu.* 20. *Dominus dicit, Ego ſto ad oſtium, & pulſo*, ecce oblatio gratiæ, *Si quis mihi aperuerit ianuam*, ecce noſter in gratiam præſtandus voluntatis aſſenſus, quo præſtito non ſumus nos, noſtra qui Chriſtum voluntate in animā noſtram ingredi, & nobiſcum cœnare faciamus, ſed ipſe eſt, noſtro qui aſſenſu recepto ad ſuum in nos ingreditur beneplacitum, ad menſam ſedet, & cœnat: cœnans autem ex eius mera benignitate, & nos cum eo cœnare facit, *Luc. cap.* 12. *num.*37. quoniam bonus eſt, & in ſæculum miſericordia eius. *Pſal.* 135. *à principio ad finem*. Propterea ibi dicit, *Ego introibo ad illum, & cænabo cum illo, &c.* His neque obſtat, quod opera huiuſmodi in ſacris literis à nobis operari, & noſtra eſſe dicantur, quia homo etiam, & ſi ex carne conſtet, quæ nullo modo ea, quæ ſunt hominis percipit, percipere vel poteſt, quia *natura illorum eſt incapax, Apoſt. ad Rom.c.*8.*nu.*5. is tamen ratiocinari, intelligere, ſpeculari, & cætera huiuſmodi vllo abſque errore, & impugnatione veritatis facere dicitur, quia ex carne etſi conſtet, ex ſpiritu etiam intellectiuo conſtat, ex quibus duobus in vna tantum hypoſtaſis vnitate ſimul iunctis hoc vnum reſultat formatum homo appellatum, cui ea vtriuſq;, harum quæ ſunt componentium partium competunt, & de eo rectè dici, & prædicari poſſunt, quoniam ex his duobus ſimul re vera conſtat, at ſi ad hanc in indiuiduo deſcenderemus ſpecialitatem, vt huiuſmodi ratiocinij, intelligentiæ, & ſpeculationis virtutem, & efficaciam noſtræ tribuere vellemus carni, neq; rectè, neq; ad ipſius loqueremur formam veritatis, quia ſic noſtrum peruerteremus agendi principium, quod ipſa non eſt caro, ſed ſpiritus intellectiuus noſter, à quo huiuſmodi procedunt, & pendent opera cuncta. *P.ad Cor.d.c.*2.*nu.*11. *Sap.c.*15.*nu.*11. Sic & nos licet terreni, ac natura ſupernaturalium incapaces ſimus, in noſtro tamen homine nouo, qui non natura quidem, ſed merè ex gratia *ex diuino, & humano noſtro ſimul conſtat ſpiritu. Apoſt p.ad Cor. c.*6.*num.*17. *Io. c.*17.*nu.*21. 22 *&* 23. vllo abſq; errore, & impugnatione veritatis ſupranaturalia operari dicimur, & opera huiuſmodi noſtra eſſe, & ita intelligendæ ſunt ſcripturæ illæ omnes, quæ de hac loquuntur re, quemadmodum apud *Apoſtolum* 2. *ad Timoth.c.*4 *nu.* 7. inuenimus dicentem: *Bonum certamen certaui: curſum conſummaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, &c.* & apud *B.Iac.c.*5.*num.*20. dicentem: *Scientes, quod conuerti qui fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam*

eius,

eius, & multitudinem operiet peccatorum. Verum, si ad hanc descendere voluerimus, vel re descendamus specialitatem, vt & gratiæ, & cæterorum supernaturalium operandorum virtutem, & efficaciam nostro priuato spiritui, & voluntati tribueremus, tunc noui nostri hominis agendi peruertentes principium erraremus, ab ipsaq; discederemus veritate, quia non nos verè, sed ipse est spiritus Christi, qui in nobis, noui tanquam nostri hominis existens principium, huiusmodi in nobis operatur supranaturalia opera cuncta, & cõsequenter fuit etiã ille, *qui Apostolo dedit certamen illud fortè, vt vinceret: vincens autem sciret, quoniam diuina omnium est potentior sapientia, quæ in mysterio ipse est Christus*, qui in ipso huiusmodi est operatus opera cuncta, *Sap.c.*10.*nu.*12.*c.*8.*nu.*4.*&* 5. *Ier.c.p.nu.*19. *Ezech.c.*36.*nu.*27. *Isa.c.*26.*nu.*12. *Apost p.ad Cor.dd.c.*2.*nu.* 7.*&* 8.*c.*12.*nu.*6.*&* 11. quemadmodum de se ipse est confessus *Apost* 2. *ad Tim.c.*4.*nu.*17.*&* 18. dicens: *Omnes me dereliquerunt, Dominus autem astitit mihi, & confortauit me, vt per me prædicatio impleretur, vt audirent gentes, & liberatus sum de ore leonis, liberauit enim me Dominus, &c.* quia, vt diximus, ipse est, qui hæc omnia in nobis operatur etiam supra id, quod petimus, & intelligimus, *ad Eph.d.c.*3.*nu.*20. *ad Heb.d.c.*13.*n.*21. Neq; etiam sumus nos, qui peccatorem conuerti facimus ab errore viæ suæ, neq; eius animam, qui saluamus, sed ipse est Deus, qui hæc per nos, tanquam per animata instrumenta operatur, & facit, eius quia sumus membra corporis, *Isa.c.*43.*nu.*25. *Ier.c.*17.*nu.*14. *Mat.c.*9.*nu.*2.*&* 3. *Mar.c.*2.*nu.*5.6.*&* 7. *Luc.c.*5.*nu.*20.*&* 21. *Sap.c.*16.*nu.*12.*&* 26.

Huiusmodi propterea opera ab homine sic prodeuntia, vt superius iam dictum est, index dicuntur esse manifesta spiritus Dei, illorum tanquam agendorum principij in eo existentis, & operantis illa, *Io.p.d.c.*3. *nu.*24.*c.*4.*nu.*13. *Exod.c.*4.*nu.*12.*&* 15. *Sap.c.*10.*nu.*10.*&* 16. *Mat.c.*10. *nu.*20. 2.*ad Cor.c.*13.*nu.*3.*&* 5. quia *opera à nullo alio, quam ab eorum proprio, & naturali procedere, & pendere possunt principio. Mat.c.*7.*nu.*16.17. *&* 18.*c.*12.*nu.*33. *Luc.c.*6.*nu.*43. *Io.c.*10.*nu.*37.*&* 38. *c.*14.*nu.*10.11.*&* 12.*& eiusdem p.c.*3.*nu.*7.8.9.*&* 12. *Iac.c.*3.*num.*12. *Reg.p.c.*24.*num.*14. *Prou.c.*21.*nu.*8.

Hi propterea, in quibus huiusmodi supranaturalia cõspecta sunt vsq; in finem viguisse opera, sancti esse dicuntur, quia Deus, qui sanctus est, sua in ipsis assistentia, & operatione eos sanctos esse fecit, propterea *Leu.c.*11.*nu.*45. dixit: *Vos sancti eritis, quia ego* in vobis existens, & operans *sanctus sum*: quemadmodum in Prima nostra diximus quæstione De recto S.M. Ecclesię ritu circa nostram erga Sanctos venerationem,

 & de-

& deprecationem, & eorum erga nos apud Deum patrocinium, & nostrarum effusionem supplicationum. Idcircò ante eorum canonizationem operum huiusmodi fit informatiuus processus ad hoc, vt, si ex eo constiterit, quod opera huiusmodi á Deo in ipsis existente, & operante processerint, Sancti ritè iudicandi sint, quia Deus, qui Sanctus est, in ipsis habitans, & operans sua eos reddidit sanctitate sanctos. *Apost.* propterea 2. *ad Cor. c.4. nu.7. 10. & 11.* dixit: *Thesaurum istum habemus in vasis fictilibus nostris, ita vt* operum huiusmodi *sublimitas sit virtus Dei, non autem ex nobis*, quia illorum operatio eius in nobis sic explicita virtute, *propria est verè Iesu Christi vita*, quam operum huiusmodi medio *in nostris ipse manifestare dignatur corporibus*, vt eorum operatione *viuendi efficeremur viuens forma ijs, qui in eum credituri sunt in vitam æternam. Apost. p. ad Thess. c.p. nu.7. Act. Apost. c.13. nu.48.* Hanc propterea Iesu Christi vitam sic in semetipso ab eodem D. N. Iesu Christo explicitam admirans Apostolus, huiusmodi dans confessionem veritati. *Ad Gal. c. 2. nu. 20.* prorumpens ait: *Ergo viuo iam non ego: viuit verò in me Christus*, cuius est vita illa verè, quam in me ita præclarè actam conspicitis, quia sic sibi complacuit suam in me viuere vitam. Si Christus ergo suam in nobis vitã viuit, & vita ipsum est, vt diximus, viuentis opus, ipse etiam in nobis huiusmodi operatur opera, & opera huiusmodi in nobis sic ab eo operata, non nostra, sed illius sint, consequens est, si verò non nostra, sed illius sunt, non ex nobis, sed ex Deo sint, ipsa manifestat ratio, quod mysterium nobis demonstrare volens, *Apost. 2. ad Cor. c.5. nu. 17. & 18.* ait. *Si qua ergo in Christo noua creatura vetera recesserunt*, opera videlicet illa, nostri quæ erant veteris hominis antiqua vita, *& noua facta sunt omnia*, hæc autem noua sic facta, *ex Deo sunt omnia:* nam nostræ si nouitatis opera cuncta ipsa sunt Iesu Christi vita, quam operum huiusmodi medio in nostris dignatur manifestare corporibus, & in ipso huiusmodi vitam viuenti Deus permanens operatur omnia. *Io. c.10. num.38. c.14. num. 10. 11. & 12. Apost. 2. ad Cor. d. c. 5. nu. 19.* nostræ etiam nouitatis opera cuncta ex Deo sint, consequens est: *Nam in Christo si Pater operatur, & Christus Patrem in se sic operantem habens, & operans opera dicitur operari Patris, & eius viuere vitam. Io. c.5. n.36. d.c.10. nu.37. & 38. d.c.14. nu. 10. 11. 12. 20. & 24. c. 17. nu.23. 2. ad Cor. c. 5. nu.19.* Christus sic in nobis operans, & nos Christum in nobis habentes operantem, cum eoq; simul operantes opera quoq; dicimur operari Christi, eiusq; viuere vitam *Io. c.14. num. 20. & 13. & 14. cap.17. num.23. & 26. Apost. p. ad Cor. d. c.6. nu.17. 2. ad Eosdem c.4. nu.10. & 11. ad Gal. c.2. nu.20.* Sic autem

Viuen-

viuentes à nobis ipsis nihil facere valeamus, consequens est, nam si nos, filij qui adoptiui sumus, propter Christum viuimus, quemadmodum ipse Christus, qui naturalis, & verus est Dei filius propter Patrem viuit. *Io. c.5. nu. 26. c. 6. num. 58. & Christus sic propter Patrem viuens à se ipso nihil omninò facere posse constanter affirmat, sed id tantum, quod Patrem in se facientem videt, quod autem illum in se sic facientem videt, & ipse similiter facit*, sic faciens verum se Patris manifestat esse filium, *& Patris opera se operatum fuisse dicit, Io. d. c.5. nu.19. & 36. c.8. nu.42. c.10. nu.37 & 38. c.14. nu. 10. 11. & seq.*

Quomodo nos, qui adoptiui sumus, à nobis ipsis facere posse asserere audebimus, quod non prius in nobis fuerit operatus Christus, ac in eius simus operati virtute, nisi in diuinis operandis operibus illo fortiores, ac potiores esse præsumamus? vel ex Deo diuinorum negamus esse operationem? Vt ergo diuinæ opus gratiæ ad perfectum illius absolutionis deducatur implementum, etsi humanæ nostræ liberæ liber requiratur voluntatis assensus, eius tamen absolutio à nostra nec ad actum deducitur, nec efficaciam sumit voluntate, sed benè ab ipso Deo, eiusue diuinæ virtute gratiæ hoc ipso, vt dictum fuit, attestante *Ezech. c.36. nu.27.* dum asserit: *Quod ipse faciet, vt in præceptis eius ambulemus, eius iudicia custodiamus, & operemur*, quia *ipse est verè, qui nobis dat velle, & perficere pro sua bona voluntate, quia illa est bona, beneplacens, & perfecta, & nobis reprabet superabundanter quā petimus, & intelligimus dd. Ad Philip. c. 2. nu 13. Ad Rom. c.12. nu. 2. Ad Eph. c.3. num. 20.* ex his propterea tanquam ex præmissis inferens Deus, *Ose. c. 14. nu. 9. &* 10. Populum suum alloquens ait: *Tuus ergo ex me fructus est*, statimque sic subiungens ait: *Quis ergo sapiens, & intelliget hæc?* quia qui sapiens est verè, sicut intelligit, quod omnis fructus, atq; fructificandi virtus non ab ipsis palmitibus, super quos fructus inhærentes conspicimus, sed ab ipsa prouenit vitis radice, quia ex alio illi nequeunt fructificare humore, quam ex eo, quem ab ipsa traxerint radice, quia sicut non palmites, seù rami portant radicem, sed bene ramos ipsa radix: illa nec vitam, nec enutritionem, nec virtutem, nec efficaciam, neq; aliud quodpiam simile ab ipsis recipit, sed benè ipsi hæc omnia ab ea recipiunt, sic etiam intelliget, quod sicut à nobis ipsis, tanquam vitis palmitibus vineæ Domini, ramisq; insitis oliuæ diuinæ charitatis, membrisq; corporis Christi nostræ non procedit, & pendet potentia, & principium propagationis, insitionis glutinum, & appræhensio, nouitatis indumentum, membrorum corporis Christi effictio, ac illorum

 impe-

imperium, sic illorum nec fructus, neq; fructificandi, neq; opus, neq; operandi virtus, & efficacia, sed benè a Domino nostro Iesu Christo, vineæ huius tanquam vite, oliuæ radice, corporis capite hæc omnia in nos procedunt, & pendent. *Apost. ad Rom. c.11. n.18. 2. ad Cor. c.4. nu.7. c.5. nu.18. ad Colos. c.p. nu.18. Io. c.15. nu.1. 2. & 16. Eccl. c.p. nu. 5. & 6. c.24. nu.11. & 25. Isa. c.54. nu.16. & 17. c.60. nu.21. c.61. nu. 11. Prou. c.12. nu.12.* quia huiusmodi effectus, & operationes nostræ non sunt natiuitatis fructus, sed diuinæ gratiæ, quæ a Domino nostro Iesu Christo facta fuit, & ab eo in nos eius benignitate, & clementia prouenit, *Sap. c.16. nu.25. & 26. Io. c.p. nu.16. & 17. c.15. nu.4. 5. 6. & 16. Ose. d. c.14. nu.9.* Cuius iustitia, charitas, & virtus, nostri tanquam internum operis principium, & fundamentum ex eo procedat, & super illud perpetuò insideat, oportet, vt in æternum proficiat, quoniam id radix est immortalitatis illius, ad quā omnes incessanter aspirare debemus, æternam vt felicitatem assequamur, *Apost. ad Rom. c.p. nu.16. c.9. nu.31. 32. & 33. c.10. nu.6. ad Philip. c.3. nu.8. 9. & seqq. 2. ad Tim. c.2. nu.19. Prou. c.3. nu.25. & 30. c.12. nu.12. Eccl. c.7. nu.39. c.11. nu.17. & 24. Io. c.15. nu.4. 5. & 6. Sap. c.15. nu. 3.* & ferè *per vniuersa scripturæ loca, ad quæ breuitatis gratia habeatur relatio.*

Præfata autem omnia sic, vt supra, à Deo nobis inspirata, & subministrata fuisse arbitramur, non vt ab ijs quidem nostrum excluderemus consensum, & cooperationem, sed, vt pro earum fundamentali, & necessario cognosceremus, & confiteremur principio, quod nostrum omne à Deo pendet bonum, & ab eo vti illius authore summo in nos prouenit, & consequenter, quod in operibus salutis nostræ *sine eo à nobis ipsis nihil omninò facere valeremus, vt qui gloriatur non in se, sed in Domino glorietur, Mat. c.19. nu.17. Mar. c. 10. nu.18. Luc. c. 18. nu. 19. Io. c.3. nu.27. c.9. nu.33. c.15. nu.5. Iob c.12. nu.14. Psal.84. nu. 13. Isa. c.48. nu.9. Ier. c.32. nu.39. 40. 41. & 42. Apost. ad Rom. c.8. nu.32. P. ad Cor. c.p. nu.29. & 3. c.3. num.21. c.4. num.7.* vt de huiusmodi veritate eruditi per eius sanctum verbum, cui credere ipsa est fides, sine qua Deo placeamus, impossibile est, *Prou. c.p. nu.23. Sap. c.6. nu.10. & 27. Isa. c.55. nu.11. Io. c.17. nu.17. Apost. ad Heb. c.3. nu.15. c.4. nu.2. c.12. nu. 6. ad Rom. c.10. nu. 17.* nostra omnis humana conquiesceret præsumptio, à qua in nos semper omne effluxit, & effluit malum, nam quotquot ceciderunt, per ipsam in præceps prolapsi sunt, *Eccl. c. 37. nu.3. c. 35. nu 24. c.18. nu.10. Isa. c.10. nu.13. & 15. c. 14. num. 13. & 15. Ezech. c.28. nu.6. & per totum*, & vt pro singulis sic, vt supra in nos

col-

collatis donis, & gratijs in gloriam suam, & vtilitatem nostram Maiestati suæ gratias ageremus, *Apost. 2. ad Cor. c. 4. nu. 15. P. ad Thess. c. p. nu. 2. c. 5. nu. 18. ad Colos. c. 2. nu. 7.* sic agentes pro singulis quibuscunque actionum gratiarum gratijs noua nobis impartita gratia in bonis operibus perseuerantes Dei efficeremur gratia, nam *prospector est Deus eius, qui reddit gratiam, & in tempore casus sui inuenit*, ne videlicet cadat, *firmamentum*, quod ei à Domino datur pro gratiarum actione, *Eccl. c. 3. nu. 34.*

Cæterum, vt superius semper affirmauimus, & affirmamus noster in diuinam voluntatem est necessarius assensus, seu nostræ subiugatio voluntatis voluntati diuinæ, seu potius nostræ abnegatio voluntatis, vt eius diuinam perfectè, vt decet, impleamus voluntatem, *Psal. 118. nu. 35. Isa. c. 56. nu. 4. c. 58. nu. 13. Eccl. c. 18. nu. 30. Act. Apost. c. 9. nu. 6.* nec non etiam, prout subiecta materia, & id faciendi exposcit occasio, interna, & externa cooperatio nostra, ideò si audierimus Dominum nos vocantem ei promptè respondeamus, oportet, *Isa. c. 30. nu. 20. Prou. c. p. nu. 24.* si pulsauerit ei confestim aperiamus, oportet. *Can. c. 5. num. 3. & seqq. vsq; ad finem, Apoc. c. 3. nu. 20. Mat. c. 25. num. 5. 6. 10. 11. & 12. Mar c. 13. nu. 35.* si vult vt eamus, prout ei placet, eamus oportet, quoniam apud eum omnes sunt bonorum viæ, *Eccl. c. 11. n. 15.* à nobismet ipsis ergo ceruicosum non est capiendum iter, sed, quò ei placet, eamus necesse est; quoniam *omnes nostræ salutis viæ sunt secundum dispositionem, & voluntatem eius, nec hominis, sed Dei est humanos nostros dirigere gressus, Psal. 36. nu. 23. Psal. 134. nu. 6. Eccl. c. 33. num. 14. Prou. c. 16. nu. 9. 20. & 24. Ier. c. 10. nu. 23. Dan. c. 4. nu. 32.* nam nostræ cooperationes, etsi ad salutem nostram sint necessariæ, sunt tamen pedissequæ, & sequelæ diuinæ voluntatis, & gratiæ. Nam, si Dominus Noster Iesus Christus naturalis, & verus Dei Filius, nobis à Patre datus, vt nostræ nobis esset exemplar filiationis, & nouæ nostræ ducendæ vitæ ad eruditionem nostram, vt supra nobis testificatus est, quod à se ipso nihil dixerit, vel fecerit vnquam, quod non prius in se loquentem, vel facientem audierit, vel viderit Patrem, ne suæ principium diuersificaret vitæ, *Psal. 74. nu. 14. Io. c. 5. num. 19. 20. 30. & 36. c. 6. nu. 37. 38. & 44. c. 7. nu 16. c. 8. nu. 28. & 29. c. 12. num. 49. & 50. c. 14. nu. 10. 24. & 31. c. 15. nu. 15. c. 17. nu. 7. 8. 14. & 22. & sua prima c. 2. num. 6.*


Cur nos, adoptiui qui filij sumus, quorum *indoles filiationis ipsa est dilectio, & obedientia, Eccl. c. 3. nu. 1.* affirmare audebimus, quæ ad salutem

no-

nostram sunt, à nobismet ipsis dixerimus, & fecerimus ea, nisi illa prius dixerit, vel fecerit in nob s Dominus noster Iesus Christus, nostræ tanquam principium vitæ, *Apoc. c.3. nu.14. Iac. c.p. nu.* 18. & eius medio gratiæ, prouidæ tanquam nutricis nostræ nos suæ enutrientis lactis vbertate, suaq; sancta præuenientis, concomitantis, & subsequentis pietate, & misericordia, nostrosq; per vestigia eius reponentis pedes, itineraq; nostra amanter producentis in pace? *Sap. d.c.* 16. *nu.*25. *Psal.* 5. *nu.*9. *Psal.* 16. *nu.* 5. *c.*17. *nu.*24. *Psal.* 22. *nu. p.* 3. & 6. *Psal.* 24. *nu.* 4. *Psal.*26. *nu.* 11. *Psal.* 30. *nu.*4. *Prou d.c.*4. *nu.* 12. & 27. *c.* 16. *nu.*9.

Si ergo hæc ita se habent: illa tam amanter, & prouidenter in nobis, & pro nobis facienti sit sempiterna laus, gratiarum actio, gloria, & imperium in æternum, & in sæcula sæculorum. Amen.

LAVS DEO.



Tractatus tertij huius

	Errata	correcta
Pag. 7. l. 17	*labentem*	*labens*
Pag. 26. l. 16	2. Ad Cor. c. 5.	2. ad Cor. c. 3.
Pag. 38. l. 23	Io. c. 16. nu. 22.	Io. c. 16. nu. 27.
Ibid. l. 24	Ad Philip. c. 2. nu. 6.	Ad Philip. c. 2. nu. 5.
Pag. 42. l. 22	*cæterorum*	*ceterorum*
Pag. 48. l. 31	*obcæcata*	*obcæcata*
Pag. 50. l. 13	*peniteptiam*	*pœnitentiam*

V. Don Iuuentius Tortus Cler. Reg. S. Pauli, Pænitentiarius, pro Eminentiss. & Reuerendiss. D. D Hieronymo Boncompagno Bononiæ Archiepiscopo, & Principe.

Ex speciali mandato Reuerendiss. P. Inquisitoris Bononiæ De liberi arbitrij nostri viribus, & Diuinæ gratiæ virtute Tractatum vidi Perillustris D. Dominici Tuschi, in quo nihil Sanctæ Fidei repugnans comperi, quinimò vndequaq; sacrarum litterarum dilucidè explanatos sensus, atq; ideò opus typis dignissimum reor.

Fr. Honorius ab Assumptione Carmelita Discalceatus Philosophiæ Lector.

Stante suprascripta attestatione
Imprimatur.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus de Garexio Sac. Theol. Mag. Ord. Præd. Vicarius Generalis S. Officij Bononiæ.